





Aquisgr.

Ea 161

E 851-

SG 180

Antonius Wilh. Deboeuf 1791. C 335.

MIRACULUM
MIRACULORUM
SIVE
SEPTEM EXCELLENTIÆ
SACROSANCTI MISSÆ
OFFICII,
TOTIDEM CONSIDERATIONIBUS
UNA CUM PRAXI
DEVOTE AUDIENDI SACRUM

A

P. JOANNE PETRO PINAMONTI^{87.}
OLIM PROPOSITÆ;
NUNC
NOVIS TYPIS EDITÆ
ANNO MDCCLXXXIV.



—
DUSSELDORPII,
Typis Francisci Friderici Stahl,
Aulæ Typographi.

HT 014138575

00 rel

20086

MIRACULORUM

SIE

ERSTEN EXCELENTERIS

SACROSANCTI MASS

OMNIA

TOTIDEM EXCELENTERIS

IN CVM HIC

DEACTO ADOGENIO ET BE

BLAUNNE ET MONAMI

COLIM PROSPERIS

MON

NOTA TIBUS PESTIS

ANNI MDCCCLXXV

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF DUESSELDORF

UNIVERSITY LIBRARIES DÜSSELDORF

TOEFL LIBRARY DÜSSELDORF

YAHOO LIBRARY DÜSSELDORF

7067.865 01

Introductio Authoris.

Votorum suorum metam attigisse sibi visa
est sacra sponsa, quando intimos pectoris
sui sensus hisce verbis explicuit, arca-
norum mysteriorum plenis. *Sub umbra il-*
lius, quem desideraveram, sed; Et fructus
ejus dulcis gutturi meo (a) At enim hæc ar-
bor vitae, quam animæ sanctæ tantopere
desiderarunt, quæ demum est alia, atque
arbor crucis, quam olim quidem in mon-
te Calvariae plantavit Christus; postmodum
vero, cum Missæ Sacrificium institueret,
ad hortum Ecclesiæ sue transtulit, ut vi-
tam Christianis daret, mortemque, quam
solum affert peccatum, procul arceret. Et
quænam est illa umbra tam jucunda, nisi
Sancta Fides? Quinam fructus illi tam dul-
ces, nisi illa gratiarum copia, quas uber-
tim legunt, qui tremendis his mysteriis
devote assistunt. Aliter si eveniat, penes

nos

(a) *Cant. 2.*

mos est culpa, qui sub hac umbra considerare nolumus, sed moram omnem pertulsi alio transilimus: qui hos fructus non digerimus, sed integros deglutimus: unde fit, ut umbra non sit refrigerium spiritus; ut fructus palato non sapient, atque adeo cordi parum utiles existant. Non consideramus, quia prærogativas hujus cœlestis arboris matura consideratione non expendimus: non masticamus divinos hos fructus, quia exterioribus plerumque ceremoniis contenti, parum aut nihil curamus de animali præparatione, nec ruminamur seria cogitatione, quanta nobis inde bona obvenire possint.

Atque hic abusus in causa fuit, cur animum ad scribendum adjecerim, & in parvo opusculo cum pretium Divini hujus Sacrificii, tum immensos, quos in se continet, thesauros, denique & facilem proponere methodum decreverim, qua fructus copiosos legamus.

Divisus est Libellus in partes duas: in prima exponuntur excellentiae divini hu-

jus

ius Mysterii: porro ut major sit claritas minusque tedium, proponuntur distincte in totidem considerationes, quot sunt dies hebdomadæ. Pars altera docebit praxin, qua quis utiliter ac fructuose interesse posse rei Divinæ.

Reliquum est, mi Lector, ut hoc sanctum exercitium magno animo aggrediaris, & veritates, quas tibi propono, affectusque, quos suggero, non perfunctorie tantum percurras, sed ad nucleus usque penetres, & in animum tuum alte demittas. Ditissimæ aurifodinæ non in plano solo, sed imis terræ visceribus deprehenduntur. Quod si teste sancta Maria Magdalena de Pazzis sacra Eucharistia, si vel semel cum debita vivæ fidei ardentisque charitatis dispositione suscipiatur, abunde sufficiat, ut Sanctos nos efficiat, quæ quantaque bona tibi sperare poteris, si diebus singulis singulari cum pietate vel peragas, vel audias Sacrificium Missæ, ubi non Sacramenti solum, sed ipsius etiam Sacrificij gratiam virtutemque consequeris? Evidem mihi penitus persuadeo, si ad ea, quæ hic sub-

jicio,

jicio, diligenter advertas, fore te ex eorum numero, de quibus dici possit, quod omni spiritualium divitarum copia per Jesum Christum fuerint locupletati. *In omnibus divites facti estis in Christo.* (a) Nulla jam Virtus tam alto loco erit posita, quo non possis pertingere: nullum erit auxilium gratiae, quod non possis obtinere: nullum bonum erit tam eximium, quod non possis fidenter sperare. *In omnibus divites facti estis in Christo.*

(a) *I. Corinthi. I. 5.*

PARS



PARS PRIMA.
CONSIDERATIONES
DE
EXCELLENTIIS SACRIFICII
MISSÆ.

CONSIDERATIO PRIMA

PRO DIE DOMINICA.

PRIMA SACROSANCTI MISSÆ
SACRIFICII EXCELLENTIA.

*Missa est Sacrificium
novæ Legis.*

§. I.

Necessitas Sacrificii Divini.

C onsidera, in omni Religione, quæ
inanis supersticio non sit, Sacrifi-
cium

PARS

cium aliquod esse oportere. Cum enim supremum veri Numinis cultum ea sibi præfixum habeat, efficacius, quo præcelsum adeo finem consequi possit, medium haud invenerit. Hinc illa cum naturæ, tum scriptæ Legis usitata semper Deo Victimæ offerendi consuetudo, qua Sacrificium inter & Legem arctum adeo vinculum, eaque intercedit necessitudo, qualem humano in corpore cor ipsum cum cæteris membris habere comperimus: ut, quemadmodum hæc mutuis indolere cladibus solent, ita & Gentium Apostolo attestante, *translato Sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat.* (a) Cum igitur gratia Lex in eo, quem Deo exhibuit, cultu & cæteras omnes vicerit, & hominem sola, quæ verum Numini cultum exhibeat, perseveret; decebat omnino, ut eadem Sacrificii sui dignitate, quotquot fuerant, libamina absorberet penitus, infinitoque transcendenter intervallo adeo, ut eorum omnium cumulus ne rudi quidem Minerva potuerit adumbrare excelsum opus, quod secu-

(a) *Hebr. 7. v. 12.*

PRIMA.

secuturis temporibus incarnata Dei Sapientia extento brachio perfecit, consumavitque. *Sapientia immolavit vietmas.* (a) Quid igitur esse dicemus tremendum hoc Missæ Sacrificium? Opus videlicet, quo nec terræ sanctius, nec cœlo sublimius datum est conspicari: fidei videlicet nostræ vitam, & Christianæ Legis Sacramentum maximum, ad cuius dignitatem orbi demonstrandam omnes ritus, ceremonias omnes, mysteria omnia collineasse nemo ambigat. Verbo: quidquid bonum, quidquid augustum Ecclesia complectitur universa. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* (b) Et invenire erit nihilominus, qui aut incomposita exteriori specie, aut vagabundo adstante animo? Profecto facessendum inde nobis existimem, ceu maxime earum rerum, quæ geruntur in ara, conspectu indignis, nisi ad modestiæ leges compositos sacer insuper horror invadat. *Pavete ad Sanctoriarium meum.* (c)

(a) *Prov. 9. v. 2.*

(b) *Zach. 9. 17.*

(c) *Levit. 26. 3.*

§. II.

Necessitas Sacerdotis Divini.

Considera, infinitæ excellentiæ sacrificio, cuiusmodi Missam esse credimus, non nisi infinitæ itidem dignitatis Sacerdotem, Christum scilicet, digne administrando parem reperiri. Ille igitur Primarius est Offerens, non solum, quod hoc Sacrificium instituerit, (a) neque ideo tantum, quod in idipsum vim omnem ex suis meritis transfuderit; sed etiam & multo magis, quod cœlo receptus, per humilitatem, tanquam per instrumentum Divinitati unitum immediate, obstupescendam, eamque divinam panis in carnem, vinique in sanguinem transubstantiationem efficiat. Præsertim quia Servator noster summo qua intellectus, qua voluntatis studio hanc rem operatur, & per manus mortaliū Sacerdotum contendit actu exercere officium æterni supremique Sacerdotis, tum ut supremam Majestatem summopere veneretur, tum etiam ut nobis quam maxime commodeat.

(a) *Suar. tom. 3. in 3. partem. disp. 77. sett. 1.*

det. Ex quo licet intelligere, quam
merito nobis, cum rei sacræ assistimus,
ex divi Chrysostomi sententia non
jam mortalem hominem, sed Christum
ipsum ad aras operari persuadere
debeamus. *Ne Sacerdotem consideres* (inquit ille) *hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extentam,* (a) Certe Minister ille, quem tu oculis conspicis, tametsi ob dignitatem suam ipsos Reges ac Principes antecellat, & ut talis etiam ipsis paradisi incolis in honore sit ac veneratione; longe majorem tamen aestimationem meretur, quod minister sit hujus Sacerdotis invisibilis, hoc est, nostri Redemptoris. Quippe ut cum Concilio loquar, *Idem est offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obrulit.* (b) Porro nos Deum Sacerdotis loco naestos fuisse, ea est legis nostræ prærogativa, ut, ne ipsa facti privilegii magnitudo ambiguos redderet, eandem nobis rerum omnium Conditor Pater jurisjurandi interpositione firmandam duxerit. Imo vero

(a) *Homil. de prod. Judæ.*

(b) *Trid. Seff. 22. c. 2.*

vero quasi neque hac tanta fide satis
hominum scrupulis cautum esset, nul-
lam præterea seu pollicitationis, seu
jurisjurandi pœnitudinem unquam ani-
mo subituram profitetur. *Juravit Do-
minus, & non pœnitabit eum: tu es Sa-
cerdos in æternum secundum ordinem Mel-
chisedech.* (a)

§. III.

Necessitas Viætimæ Divinæ.

Considera, quo dignissimum, si quod
unquam, in Missa peragi Sacrifi-
cium intelligeremus, minime suffi-
cisse solius Sacerdotis excellentiam in-
finitam, nisi & infiniti pretii viætima,
omnique ex parte divina accederet.
Vilissimo etiam (quis inficias iverit?)
si quem Christus Jesus in hostiam ob-
tulisset, agno immensum vel ex sua
dignitate pondus addidisset. At enim
in muneribus & offerentis & acceptan-
tis ratio habenda est. Itaque cum Deus
Deo, Christus videlicet æterno Patri
immolaturus sacratioribus aris acce-
dat, quis non videt, dignam utrius-

(a) *Psal. 109. 4.*

que magnificentia victimam non posse
reperiri aliam, quam vitam ipsius Dei?
Hæc cruento primum modo in aræ
crucis per manus carnificum immola-
ta fuit: nunc incruento per manus Sa-
cerdotum quoridie ad aram offertur in
Missa, ubi adoranda hæc victimæ po-
nitur velut ad quendam mortis statum
redacta; non tantum, quod in duplicis
inanimatæ substantiæ, panis videlicet
ac vini, locum sufficiatur, nec ideo
solum, quod dum in hoc Sacramento
cibus noster efficitur, jam paratus sit
hanc ipsammet vitam perdere; sed
multo magis, quod in consecratione Sa-
cerdos illorum verborum vi corpus &
sanguinem Jesu Christi separet non
secus, ac corpus & sanguis separatur in
agno, qui occiditur. Unde fit, ut ea-
propter in omni sacrificio Redemptor
noster iterum iterumque mortem my-
sticam, non tamen veram obire dica-
tur, uno eodemque tempore vivus,
& quodammodo occisus juxta illud:
Vidi agnum stantem quasi occisum.(a) Hem
tibi igitur trinum perfectum! Sacrifi-
cium

(a) *Apoc.* 5. 6.

cium omnium possibilium nobilissimum, quod est Sacrificium Missæ: Sacerdotem omnium possibilium nobilissimum, qui est Homo-Deus: Victimam omnium possibilium nobilissimam, quæ est vita Divina. Jam quis amplius admirationi locus, si orbi ostensa tanti mysterii lux non idolatricæ modo superstitionis densam caliginem, sed & Mosaicæ legis prorumque libaminum umbras propulsarit? Enimvero non Cometarum duntaxat pestilens vapor ad solis conspectum, sed & stellarum species evanescit.



CON-

CONSIDERATIO II.

PRO DIE LUNÆ.

ALTERA SACROSANCTI MISSÆ
SACRIFICII EXCELLENTIA.

*Missa est Miraculorum
omnium maximum.*

§. I.

*Maximum est ex eo, quod in hoc Sacri-
ficio destruitur.*

Considera, et si Deus creaturarum cursui suam semper omnipotentiam attemperare soleat, & non nisi suo modo invitus, patrandis miraculis sese impendar; conficiendi nihilo minus divini Sacrificii intuitu, tot tantisque miraculis orbem identidem replere consueuisse, ut tremendum hoc mysterium *miraculorum ab ipso factorum maximum* jure meritissimo dici possit. Patet id primum ex eo, quod immutari, destruique in Sacrificio necessum est. Arcana quippe illa con-
secrationis

secrationis verba gladii utrinque acutissimi instar arctum, quod natura inter panis & vini substantiam, eorumdemque accidentia strinxerat, vinculum momento citius dirimunt, tolluntque. Hinc perire videoas veteri regumento expoliatam substantiam; accidentia vero suo destituta fulcro in longum subsistere: cumque & illius destructionem, & horum nulla base pendentium conservationem in alio rerum ordine nec viderit unquam, nec visura sit ætas, tu mihi ipse videois subsistere, cuius rei potissimum stupore defigaris. Vastam aliquam molem Angelorum cuilibet facile acciderit in aëre pendulam figere; at vini saporem, colorem odoremque suis evulsos radicibus servare integros nemo illorum unus potuerit. Similiter panis substantiam in aliam aliamque levi negotio verterint cœlestes Spiritus; at perdere eandem penitus, redigereque in nihilum ne quidem cogitarint. Hæc inaudita prodigia sacrosancto Missæ Sacrificio quotidiana sunt, nobisque in primis memoriam

RE-

refricant supremi dominii, quod Deus in res omnes habet: deinde, quod ipse sit vitæ mortisque Dominus, & ob infinitam suam perfectionem dignissimus, cuius honoribus creaturæ omnes se totas, quantæ sunt, impendunt consumantque: demum, quod nos etiam unacum tota hac mundi mole æque possit annihilare, quemadmodum substantiam panis ac vini destruit. Et feremus adhuc ea humanæ mentis perversitate animos nostros fascinari, ut vel cum maxime hæc fieri credimus, ipsisque propemodum oculis usurpamus, intempestiva levitate solvamur? *Deum (S. Prophetæ querela est) Deum, qui habet statum suum in manu sua, non glorificasti!* (a)

§. II.

Maximum est ex eo, quod in hoc Sacrificio producitur.

Considera, Deum nostrum terrenis Regibus longe esse absimilem, qui recepto jam more in rerum destructionibus gloriae verticem collo-

B cantr,

(a) *Dan. 5. 28.*

cant. Ille dum panis vinique substanzias in Missæ Sacrificio destruit, eo fine id agit, ut in earum vicem miraculo infinites majore corpus Jesu Christi reproducat. Siquidem Sacerdotis verba, quibus consecrat, quæque essentiam Sacrificii conficiunt, non ad solam Christi præsentiam, (b) quasi illum e cælo in terras deducerent, (c) sed ad ipsum etiam corpus & sanguinem Servatoris terminantur: eo quidem pacto, ut si nec cælo nec terris Christi Corpus detineri contingueret, illico tamen eorum verborum vi (tanta est scilicet) e nihilo protraheretur. Neque hic vero miraculorum finis; conjunctis veluti viribus in immensum semper excrescere, sequæ ipsis majora evadere videntur.

Nam positum sub accidentibus Redemptoris nostri corpus etiam anima ob naturalem nexum comiteretur, necesse est: anima, inquam, sequitur sanctissima, omnibus exornata virtutibus,

(a) *Lef. de perf. Div. L. 12. n. 120.*

(b) *Suar. disp. 50. sect. 4. 5.*

tibus, ditata donis, meritis omnibus
cumulata. Similiter ponitur Unio cum
Persona Verbi Divini: & propter inti-
mam cum hac Verbi Persona, etiam
reliquæ duæ Divinæ Personæ super-
veniunt; adeo, ut, si Trias Illa Sa-
crosancta (quod factu omnino est im-
possibile) sua identitate nondum re-
pleret Universa, ubicunque tamen
gentium sacræ species asservarentur,
ibidem & Patrem & Almum Spiritum
ceu Sacrostanctæ Filii Humanitari in-
time præsentes, Filium vero huic ip-
si Humanitati per Unionem hypostaticam
conjunctionem adorare nos oportet.
Quam rem nemo, qui intelligit,
sine mentis excessu satis obstu-
pescat. Quod si enim Elisabethæ tan-
topere admirationi fuit Cognatae suæ
adventus, ut diceret: *Unde hoc nubi,*
ut veniat Mater Domini mei ad me? (a)
Quæ nobis, obsecro, mens, quæ co-
gitatio esse deber, quibus ex fide cer-
tum est, Jesum Christum in ara ad
mortales descendere, intima Sacro-
sanctæ Adorandæque Triados præsen-

B 2

tia

(a) *Luc. I. 43.*

tia condecoratum? Ubi, si unquam alias magnificæ sane pollicitationis illius veritatem experiri licet: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* (a) Interim sacrosancta hæc Christi Humanitas non uni tantum, sed infinitis propemodum affixa locis mirum quantum auget & prodigiorum excellentiam & numerum: toto siquidem orbe pro meritorum præmio diffusam, specie quadam immensitatis donatam credas, privilegio soli alias Divinitati reservato: Namque sic acclamatum ei refert Apostolus: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere Virtutem, & Divinitatem, & bonorem & gloriam.* (b)

§. III.

Maximum est ex modo, quo id in hoc Sacrificio efficitur.

Considera, in Sacrificio Missæ ceu Miraculorum compendio non operis solum in se ipso spectati substantiam, sed & modum, quo illud effi-

(a) *Ioan. 14. 23.*

(b) *Apoc. 5. 12.*

efficitur, prodigo esse plenissimum.
Etenim portenta illa inaudita, quibus
& panem destrui, & Christi Corpus
confici diximus, nullo strepitu, labo-
re nullo, nulla temporis mora, sed
parvularum syllabarum (*hoc est Corpus*
meum) enuntiatione, atque opera Mi-
nistri cujuscunque, seu probus ille
fuerit seu improbus, & quidem nul-
lo discrimine perpetrantur. *Quis lo-*
quetur potentias Domini? (a) Quærit hic
Psaltes Regius. Quæ hominum vox,
quæ Angelicarum mentium facun-
dia tantam tamque absconditam omni-
bus retro saeculis virtutem pro merito
enarrabit? Quis tantam soni humani
vim vel fando exprimere valeat, vel
assequi cogitando? Etsi enim hic nec
movendæ loco festucæ vires a natura
acceperit, Divina nihilominus gratia
in tantum roboratur, ut etiam Con-
ditoris Divina membra imperio habeat
obsequentia. Quare si verbo montium
immanes scopulos transferre, si ex-
siccare marium abyssos, si vastos cœ-
li orbes circumvolvere Sacerdoti con-
cede-

(a) *Psal. 105, 2.*

cederetur, quantum id esset, si cum priore ejus potentia conferatur? Certe nec primævi illius *Fiat*, quo immensa hæc mundi fabrica prodire ex nihilo jussa est, nec illius alterius (*Fiat nuli secundum verbum tuum*) (a) quo corrupti orbis Reparator in Virginis sinu humanam induit speciem, potior hic haberi ratio aut potest, aut debet. Evidem justum non est, unius mysterii sublimitatem deprimere, ut alterius attollamus excellentiam: nihilo minus pro majori gloria hujus Domini, qui tantam hominibus potestatem concessit, comparationem instituite inter Adventum Christi, quo per incarnationem in uterum Mariae descendit; & Advenrum Christi, quo per Consecrationem descendit in manus Sacerdotum: notabilem profecto inventis excessum. Illa verba Virginis ab ipsa fuere pronuntiata in sua ipsius persona, tanquam hamillimæ Ancillæ tantæ Domini. Illa verba Sacerdotum ab ipsis proferuntur in persona Christi, tanquam totidem Vicariis, quibus plenitudo

(a) *Luc.* 1.

nitudo potestatis communicata est. Illa Virginis verba fuere duntaxat per modum conditionis, quæ Divinas Sacro-sanctæ Triados Personas permovere, ut Incarnationis Mysterium tandem executioni daretur: hæc, utut instrumentum supremi Artificis dicantur, ex indita tamen sibi causæ virtute hoc Sacramentum ipsa efficiunt. Beata Virgo aliud non fecit, nisi quod subministrarit materiam Corpori Christi, quod quidem ex ipsa, id est, purissimo ipsius sanguine, sed non ab ipsa formatum est: at vero Sacerdotes, qui instrumenta sunt Christi, dum consecrant, illud reproducunt, & destruunt materiam, quam prius habebant, in manibus, aut (ut melius loquamur) in aliam substantiam commutant. Deinde Virgo illa sanctissima semel duntaxat, quem mortali in carne rerum omnium indigum pareret, concepit; at Legis novæ Sacerdotes toties omnino immortalem creant, quoties quæ per immensam locorum amplitudinem erecta sunt, altaribus operaturi appropinquant. Neque vero lactis cibique necessitatibus obnoxium creant, sed tam-

Iem conficiunt, quælis propediem mortalibus in escam cedere & possit, & ve-
lit. Denique & enormis illa, quæ na-
tum ex Virgine manebat, infamia pa-
tituli jam in augustum gloriæ tro-
phæum abiit æternum perennaturæ.
O igitur veneranda Sacerdotum dignitas,
in quorum manibus, veluti in utero Vir-
ginis Filius Dei incarnatur. (a) O inquam,
veneranda Sacerdotum Christianorum
dignitas, quos jam Angelorum nomi-
ne vocitare parum, & leve sit; siqui-
dem collata illis in Christi corpus po-
testas eam, quam in Filium Divina
Mater exercuit, suo modo antecellit.
Horum quippe beneficio mortalibus
datum est, id quod in Virginis gremio
semel peractum est, prodigium de die
millies innovarum conspicere. O nun-
quam satis obstupescendam benigni
Numinis Charitatem! Et tamen sic Bo-
nitas tua infinita, sic tanta tui in nos
amoris prodigia tam grandi, quam
monstri instar dies exhorreat, ingra-
titudine compensentur, ut ad monita
tua surdi, ad redamandum te segnes
tardique existamus!

(a) Gabr. in Cant. Lett. 4.

CONSIDERATIO III.

PRO DIE MARTIS.

TERTIA SS. MISSÆ SACRIFICII
EXCELLENTIA.*In Missa exhibetur Deo ha-
nor infinitus.*

§. I.

Divinæ Majestati debetur honor infinitus.

Conserua, leguin omnium æqui-
tatem exigere, ut & subditus Su-
periorem, & Dominum servus reve-
ratur, eisque eo majora deferant ob-
sequia, quo illi sublimiore fulgent
dignitate. Jam vero cum Deus in seipso,
simplicissima sua essentia perfectiones
& numero & præstantia infinitas com-
prehendat, infinitæ pariter excellen-
tiæ dignitatisque ejus esse obsequium
oportebit. Quæ vero orbis plaga ea
munera suppeditet, quæ decere tanti
Domini Majestarem videantur? *Quid*
dig-

dignum offeram Domino? (a) Quæ oblationis, quæ libamina, quæ holocausta immensam Numinis Majestatem adæquent? Hinc quidem ut debito honore excipiatur, monet Regius Psalmus: *Laudate eum secundum multititudinem magnitudinis ejus.* (b) Illinc vero vilescere videtur, vastoque absorberi Oceano, quidquid Dei conspectum subeat. *Omnes gentes quasi non sunt, sic sunt coram eo: & quasi nihilum & inane reputatae sunt ei.* (c) Frustra itaque sumus, si vel pervagari maria, scrutarive montium viscera, vel steriles hasce arenas exercere, ipsasque adeo cœli regiones, quo dignum Deo triburum comparemus, lubeat investigare. Frustra & incassum hæc omnia: ni Deus ipse humanæ indigenitæ supperias ferat, dignumque seminus nostris ipse manibus ingerat. Igitur necesse est, ut idem ipse throno sublimis & nostris ab altaribus munere

(a) *Mich. 6. 6.*

(b) *Psalm 150. 2.*

(c) *Izai. 14. 17.*

**munera exigat, & iisdem imponatur,
offeraturque.**

Tunc enimvero, si suis e cineribus resurgat David, obstupescet, tandem monitioni suæ ex aequo satisfactum, affirmabitque infinitam Numinis dignitatem sua ex sententia fuisse honoratam. *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*

§. II.

*Talis in SS. Missæ Sacrificio exhibetur
a Christo.*

Considera, cum Christus adverteret, grande hoc summaque Majestate dignum gratitudinis nostræ tributum persolvi ab hominibus neutriquam posse, eum Missæ Sacrificium instituisse, in quo cum & res oblata sit infiniti pretii, scilicet Sacratissimum ipsius corpus, & offerens infinitæ dignitatis, scilicet ipsem Christus, plus gloriæ Deo reddit, quam reddere eidem possunt creaturæ omnes,

nes, non solum quæ de facto existunt, sed etiam quotquot sunt possibles. Scilicet (quæ Filii ad Patrem vox est) *bostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mibi* (a) *tunc dixi, ecce venio.*

Porro admirandam hanc, quæ corpus suum divinissimum defectuosis nostris victimis subrogare dignatus est, promptitudinem in Missæ Sacrificio Servator Benignissimus peculiari prodigo demonstrat. Hic enim ad nihil pene redactus supremum Conditoris dominium ineffabili sua submissione in immensum extollit, seque infra hominis dignitatem, quasi demittens, vitam sacramentalem, quam de novo per sacerdotis verba acceperat, in Divinæ rursus Majestatis obsequium prodigit. Ut adeo, si unquam alias, hodie vel maxime ab illo exercituum Domino dici possit: *Magnum est nomen meum in gentibus.*

(a) *Hebr. 10. 8.*

Cur vero magnum tantopere? nisi quod abolitis veteris synagogæ oblationibus, dignam se ubique gentium immolari victimam sciat. In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. (a) Certe si Deum nostris in altaribus Deus ipse pronus adoret, colatque, necesse omnino est, digno adeo cultu ipsius quoque merita adæquari, & immensæ etiam dignitati par obsequium deferri.

§. III.

Talis a nobis quoque exhiberi debet.

Considera, quod unigenitus Dei Filius debitum hoc divinissimæ Triadi Servitutis tributum nequam suo solius nomine oblatum velit; sed vel maxime percupiat, ut idem in hoc Sacrificio commune sit omnibus fidelibus, omniumque nomine offeratur. Nosse enim oportet, eum ex Eucharistico, sub qualitat, orbe omnium cordibus illa iden-

(a) Malach. I. XI.

identidem verba ingerere. *Afferte
Domino gloriam & honorem: afferte Do-
mino gloriam Nomi ejus: adorate Do-
minum in atrio sancto ejus.* (a) Quan-
quam enim nullum non tempus aut
locus divinæ gloriæ honorique natus
factusque sit, longe tamen opportu-
nius sacras tibi ædes ipsamque Sa-
crificii incruenti horam feligè, in-
comparabile inde emolumentum, ma-
jusque tuis muneribus pretium cap-
turus. Vel unum namque Sacrifi-
cium, quod etiam cum indignissimo
Sacerdotum offeras Deo, longe plus
gloriæ tribuit Deo, quam reddere
possint Beati omnes. Fac enim, An-
gelos omnes, Patriarchas, Prophe-
tas, Apostolos, Martyres, Confes-
sores ac Virgines: fac tandem, tur-
bam illam, quam dinumerari non
posse Joannes asserit: imo & ipsam
Cælitum Reginam, quæ omnium
maxime Dominum glorificat; fac,
hos omnes ex una parte conjungi:
certum omnino est, istos omnes tan-
tum gloriæ Deo non reddituros, ut
non

(a) *Psal. 28.*

non infinites major in Deum redun-
det ex unico Missæ Sacrificio, quod
viliissimus etiam mundi Sacerdos per-
agit. Ex quo manifestum fit, quam
merito divinum Missæ Sacrificium ab
Ignatio Marryre *Gloria Domini* nun-
cupetur. (a) Hic profecto est sum-
mus ille apex ac meta, ad quam ex-
trinseca Numinis *Gloria* unquam pos-
sit assurgere; quia inveniri non po-
test profundior abyssus, quo se di-
mittere possit incredibilis submissio
Jesu Christi. Neque enim satis ha-
bebat tragicæ illius Catastrophes Cal-
variaæque opprobriis saturari, nisi no-
vo Humilitatis excessu suam infra ho-
mines Majestatem in templis depri-
meret: non alia quidem de causa,
quam ut Patris Divini cultum, qui
antehac exulabat orbe, nunquam in-
terituris sedibus stabiliret. *Prope ri-*
mientes eum salutare ipsius, ut inhabitet
gloria in terra nostra. (b)

(a) *Epist. ad Ephes.*

(b) *Psal. 84. 10.*

CON-

CONSIDERATIO IV.

PRO DIE MERCURII.

QUARTA SACROSANCTI MISSÆ
SACRIFICII EXCELLENTIA.

*Sacrificium Missæ est par
Divinis Beneficiis gratia-
rum actio.*

§. I.

*Quantum Gratitudinis exposant Divina
in nos Beneficia.*

A. 100
Considera, gratitudinis legem nec
 feras latere, quippe quæ bene-
 fici facientium causa inditam ferociem
 non raro in obsequium transferant,
 ac mititatem. Quanto igitur æquius
 est, homines rationis compotes divi-
 næque liberalitati tot beneficiis de-
 vincatos, eam legem non ignorare?
 Id enimvero divina humanaque jura
 exigunt, Romana identidem occinen-
 te Ecclesia: *Vere dignum & justum est,*
æquum & salutare, nos tibi semper &
ubique

ubique gratias agere, Domine sancte, Pa-
ter omnipotens, æterne Deus. Si Domi-
nus Pater est, cum quod omnes ex
nihilo sui abyssō eduxerit, tum quod
eductos insuper in filios adoptarit;
quis, quæ primæ sunt filiorum par-
tes, subrerfugere ausit? Si æternus
est, reosque æterno suppicio exem-
ptos beata æternitate donat; quis tan-
tæ bonitatis recordationem ingrato
animo prætereat? Denique si largi-
toris profusissimi Majestas, si amoris,
quo mundum sibi identidem obstrin-
git, amplitudo, si munera digni-
tas infinita sit, supraque, quam dici
possit, excedens; si ex nostra etiam
parte vilitas accedat suo modo infi-
nita: quis adeo proterve demens erit,
ut vel exemptum se gratitudinis le-
ge existimet, vel tantorum bonorum
scaturiginem agnoscere non velit?
Quare aut gratitudinem colere; aut
in vetus nihil reverti necessum
est. Certe nimis probrosum alias,
scelestumque foret, vasto semper
gurgite hunc liberalitatis oceanum
haurire, nec unquam in illum gra-
titudinis fluento effundi; cum ta-

C

men

men ad locum, unde exeunt, flumina revertantur. (a)

§. II.

Quam insufficientes finis iis compensandis.

Considera, hominem tot tantisque debitibus exolvendis extreme imparem esse, summaque inopia laborare. Siquidem anima nostra est misera illa vidua, quae in omnibus bonis suis non nisi duo minuta ad offerendum habet: & haec ipsa non illius, sed Dei sunt. *Tua sunt omnia.* (b) Quapropter utut animi exuberet affectus; res tamen ipsa ab implendo gratitudinis officio semper immensum aberit; ut proinde illud scripturae pemo non usurpare possit: *minor sum cunctis miserationibus tuis.* (c)

SUS **M**inor, non modo, si omnium beneficiorum cumulus, sed si quodlibet etiam seorsim, idque minimum

(a) *Eccles. 1. 7.*

(b) *I. Paral. 29. 14.*

(c) *Genes. 32. 10.*

consideretur; quandoquidem & istud ab immensa dignitatis Largitore, & ab infinita in singulos charitate promanat.

Porro quia minimum quodvis bonum, divina sic ordinante Sapientia, eo spectat, ut viam nobis ad possessionem boni infiniti sternat, etiam premium infinitum acquirit, nosque ad infinitam gratitudinem adstringit. Jam vero facile cuique accidet cogitare, quam parum nobis virium superpetat totam beneficiorum molem ferendi, si vel unius ponderi succumbamus. Ut adeo si Ecclesiasti monitum (*Da Altissimo secundum datum ejus.*) (a) nostris viribus adimplendum foret; nos denique & vivere, & mori ingratos oporteret. Ex quo igitur ærario, quibusve terræ visceribus tantum opumque eruemus, ut quæ cum divina largitate contraximus, nomina expungamus? *Quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* (b) Conferant fane cœlum terraque, &

C 2 com-

(a) *Eccles. 35. 12.*

(b) *Tob. 12. 2.*

communibus consiliis modum excogitent, quo divinis sese beneficiis exolvant: scilicet omnes uno ore facili cogentur, sibi foro cedendum esse, & vires nostras omnemque facultatem exhaustas, nisi altaria nostra fiant nostra æraria, & pretiosissimus Christi sanguis sit pretium nostrum, opes nostræ. Certe quærenti Prophetæ: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mibi?* Aliud, quod beneficentiaæ infinitæ æquiparari posset, præter Servatoris Sanguinem, se obrulit nihil.
Calicem salutaris accipiam. (a)

§. III.

*Quam divites nos reddat S. S. Missæ
Sacrificium.*

Considera, in Missæ Sacrificio vieti-
mam nobis obtigisse, divinis prorsus æqualem muneribus, quam si Patri æterno offerimus, accepto nihil inferius reddamus; eo quod in ea bonorum omnium authorem reddamus. Tantum abest, ut conspecto acceptorum cumulo animis cadamus. Neque ingrati

(a) *Psal. 115. 14.*

ingrati vixisse dicemur unquam, si, quos testamento nobis in Sacrificio legavit Christus Jesus, immensos divitiarum thesauros rite in usus nostros convertamus. *Dominus retribuet pro me* (a) dicere unusquisque fidenter potest cum Davide. Excedant sane numerum modumque omnem contracta a me nomina; dominus meus expunget universa: qui gratitudinis lege adstrictum voluit, una modum suggestit, quo me possim eadem exolvere. Id quod haud obscure demonstrare visus est benignissimus Servator noster, cum ultimæ accumbens cœnæ, elevatis in cælum oculis tibi (Patri Cœlesti) gratias agens, fregit, simulque, quo par pari rependeremus, instituto corporis ac sanguinis sui tremendo Mysterio, modum ostendit. Dignissima plane Deo gratiarum actio, qua & excellentissimus beneficij finis detegitur, & præcipuum, quo Christus, ceu humani generis caput ad demerendam pleno obsequio divinam beneficentiam perfungitur, officium nobis innotescit. At vero de cere

(a) *Psal. 137. 8.*

cere nequaquam visum est, ut solus ille, omni mortalium opera exclusa, nostras partes ac onera sustineret. Etiam membra suo conformari capiti oportebat; ut proinde, cum rem divinam accedimus, cœlestem aurifodinam nos subire credamus meritorum Salvatoris nostri. Nam inexhaustis illius divitiis exercemus omnes actus gratitudinis supremo benefactori debitos, dignam scilicet beneficiorum aestimationem, dignam laudem, dignam tanto mæcenare retributionem. Quod si vero persolvere debita negligamus, cum immensum hoc peculium suppetat, qui tandem ingratitudinis notam a nobis avertemus? Quantam, obsecro, desidiosus ille Evangelii servus non incurrerat pœnam, quod infoatto terræ talento unico nihil in domini, nihil in suum commodum verterit! Quid porro illis futurum existimem, qui tot tamque immensos cœli thesauros, nullo inde capto proventu, quasi steriles jacere permittunt?

CON-

CONSIDERATIO V.

PRO DIE JOVIS.

QUINTA SACROSANCTI MISSÆ
SACRIFICII EXCELLENTIA.

*Sacrificium Missæ est Pro-
pititorium pro peccatis.*

§. I.

Satisfacit pro reatu culpæ.

Considera, peccatum, cum divinam Majestatem vel aperte vel tacite contemnatur, veram quoque summi Conditoris injuriam esse. Quis vero vel verbis exprimere, vel mente assequi possit, quantum se Deus ea hominum delinquentium protervia lacestrum sentiat ac offensum? Certe præter Deum, cui palmaris adeo irrogatur injuria, id comprehendenter nemo. Peccati malitiam solius Dei oculis aperi- tissime prostare, homines vero latere penitus, satis Propheta innuit, licet oculatissimus alias: *Ab occultis meis munda me.* (a) Quam igitur inire mortaliaum

(a) *Psal. 18. 13.*

calium sceleratissimi parabunt viam, ut imminutum tot legum prævaricationibus divinum honorem resarcire denuo allaborent? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum? (a) Quæ tandem victima sufficiat, ut vel unius lethalis noxæ piaculum delear, nedum pro immensa scelerum colluvie ex æquo valeat satisfacere? Extra omnem controversiam est, nec creaturas universas, si in sacrificium se offerrent, quidquam momenti ad tantum debitum habituras. Necesse igitur est, ut & hic divinissimus noster fidejussor solutionem pro nobis pareret; ipse est enim solus æqua propitiatio pro peccatis nostris (b)

Et id quidem abunde præsttit in monte Calvariæ, ac singulos in dies renovat supra altare. Ibi profundius se demittit, quam mente possit concipi, & supplicis in modum adorat tanquam sacerdos Patrem suum cœlestem, seque tanquam victimam ponit reorum loco, quos ob culpas suas vita

(a) Mich. 6. 7.

(b) I. Joann. 2. 2.

vita indignos esse palam protestatur, dum pro illis mortem suam offert. Hæc porro divina Jesu Christi submissio divinæ justitiae reparat omnes injurias, quas eidem per peccata nostra irrogavimus, adeo, ut diffiteri non possit, sibi esse satisfactum. Hinc sit, ut cum justitia præ indignatione hærentibus in peccatorum cœno hominibus copiosiora, & quæ ad emergendum magis idonea essent, media pauclo ante negaverit; jam Christi exorantis conspectu mitigata, a concepto furore desistat, & pœnitentiæ donum vel nunc statim, vel suo tempore concedat, quotquot sequi meliora decrevere. Id quod in iis, qui Christum cruci affixerunt, videre fuit: namque alii abs mora se converterunt, revertebantur percutientes pectora sua, (a) alii paulo post audita concione S. Petri pœnitentiam egere. Hac oblatione placatus (quæ Tridentini sententia est) criminia etiam ingentia dimittit Deus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens. (b)

Quare

(a) *Luc. 23. 48.*

(b) *Trid. Seff. 22. c. a.*

Quare propitiatorium hoc Sacrifício duplici veluti via peccato contravenit: altera, placando Deum offendum, læsumque nostris criminibus summæ majestatis honorem reparando; altera cordium humanorum durtiēm suaviter perfringendo; quo in calidas emollita lacrymas terram adeo peccatorum pestem execrentur.

Væ autem Orbichristiano, si hoc propitiatorio Missæ Sacrificio destitutus contabesceret! Qua enim ratione suis commensuratum sceleribus evadere supplicium posset, nisi arcus hic eucharistiæ in nube divinis oculis expositus, tanquam pacis vel foederis nobiscum initi signum, iratum judicem clementiæ admoneret? Certe jam pridem dispersi omnes quasi Sodoma fuissimus, & quasi Gomorrbæ similes essimus. (a)

§. II.

Satisfacit pro reatu pœnae.

Considera, post obtentam culpæ veniam, ut plurimum ingens pœnarum

(a) *Isa.* 1. 9.

narum debitum remanere: quod vel in hac vira piis operibus, vel in altera flammis lustricis expungatur. At id ipsum hic ferme, quod in prælio evenit, ubi, dum milites, qui cladi supervent, communi exitio se parant fuga eripere; forte in viætrices copias incurront, & internecione delentur. Ita etiam in strage, quam peccatis Sacra menta intulere, infelices pænae reliquiæ penitus conteruntur, dum in Missæ Sacrificium incident. Quæ causa est, ut Mysterium hoc nuncupari merito possit sacrificium justitiæ; siquidem pro debitis, quæ ex legum transgressionibus contraximus, divine justitiæ ad rigorem satisfacit. *Sacrificate Sacrificium Justitiæ.* (a) Sed enim beneficium hoc conferri homini non potest, nisi omnis ante lethalis culpa, imo & levior fuerit deleta: cum æQUITATI minime congruat, ut ullum debitum condonetur illi, qui actu est inimicus Dei, eique omni modo bellum movere pergit. Ex quo pronum est conjicere, quam male sibi con-

(a) *Psal. 4. 6.*

consulant omnes illi, qui vel Sacrificio intersunt ipsi, vel id fieri suis currant expensis, nulla enormium, quæ in animo stabulantur, scelerum habita ratione. Quanquam enim divinum adeo opus uberiori gratiæ ad resurgendum necessariæ comparandæ haud parum conferat, ne suam tamen in abolendo pœnæ debito vim exerat, ipse conscientiæ reatus officit. Diruenda sunt igitur per animi dolorem ac pœnitentiæ susceptionem immania illa peccatorum obstacula, quæ Deum ipsum ab homine, & divinarum torrentem gratiarum, ne animam inundare possit, velut objecto aggere impediunt. Interim quis condignas Redemptori nostro grates refert, quod tot modis nostra in se debita persolvenda suscepit? Fierine etiam potuit, tantam fuisse fidei nostræ debilitatem temporisque, ut Mater sanctissima (Ecclesiast intelligo) ad ferendam de sacro diebus festis audiendo legem adacta fuerit, quasi rei divinæ, nisi præcepto obstricti, non assisteremus? Tantum requiritur, ut dirari nos patiamur.

§. III.

§. III.

Satisfacit sine mensura & modo.

Considera, poenae reatum, quem superesse peccato, tollique divini Sacrificii virtute diximus, nec plene semper aboleri, nec eodem in omnibus decremento imminui, sed pro offerentium vel adstantium meritis ac habitudine plus minusve ex eo debito extingui. Atque haec gravium Doctorum (*a*) sententia, qui asserunt, Sacrificium hoc pro concurrentium dispositione participari, vel ipsis sacri Canonis verbis videatur confirmari: *Quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, uti loquitur Ecclesia.*

Ad hunc igitur sensum dum Missæ Sacrificium cogitas, pelagus quoddam immensum concipe, quod ex divi-

(a) *S. Thom.* 3. p. q. 79. art. 5. *Ca-jet. opusc.* 10. *tratt.* 3. c. 2. *Vasquez.* *disp.* 232. c. 7. n. 50. & c. 5. n. 26. *Lug. disp.* 19. n. 200.

divinissimo Jesu Christi Sanguine ejusque infinitis meritis vastitatem profunditatemque habeat nullo termino circumscriptam, unde fidelium singularis pro affectus, quo Sacrificium vel ipsi peragunt, vel offerri procurant, vel denique litaturis intersunt, mensura amplitudineque liberum sit haurire; ex quo rursum apparet, quam imprudenter agant, qui in negotio adeo Divino compendia semper sectantur: præproperos conquerunt ministros, pietatem vero animique ardorem in postremis collocant, & cum Missas celebrari curant, numeri duntaxat, ad quem Sacra ascendunt, rationem habent. Enimvero licet sint ejusdem semper & ponderis & dignitatis, si in se spectentur, Sacrificia nostra; (a) aliam tamen aliamque in hominibus virtutem exerunt. Quo igitur vel actu vel habitu major fuerit Sacerdotis pietas, sanctitasque, eo ubiores fructus enascantur, oportet. Nullum proinde tepidum inter ac præfervidum ministrum discrimen fe-

(a) *S. Th. 3. p. q. 82, art. 6.*

fecisse perinde est, ac si nihil interesset
diceres, sive ample, sive angusto,
contractoque reti piscemur. Quod
vero ad sacrorum multitudinem spectat,
absit a me, ut eam quoquo modo
curantibus dissuadeam, cum pro
oblationum multitudine divina quoque
obsequia augeantur: at si rei di-
vinæ majus ardenterque pietatis stu-
dium jungatur, longe altius extule-
rim: quod inde amplior in Deum ho-
nor, in hominem vero plus fructus
redundet, etiam illius, qui ex opere
operato (ut scholæ loquuntur) hoc
est, intuitu meritorum Christi con-
fertur. (a) Quare qui vel semel sacro
altari adstiterit cum majore charita-
tis pietatisque sensu, quam unus alius
triginta omnino Sacrificiorum obla-
tioni, (b) amplius ille ex unico, quam
hic ex tricensi sacris hauriret satisfac-
tionis. Ut enim S. Thomas (c) ait;
In satisfactione magis attenditur affectus
offerentis, quam quantitas oblationis.

Etiam

(a) Lugo disp. 19. n. 203.

(b) Cajet. Opusc. 10. tract. 8. c. 2.

(c) 3. p. q. 79. art. 5.

Etiam qui cruento, quod in ara crucis funestissima pompa peractum est, Sacrificio interfuerere, non eandem bonorum mensuram acceperunt; sed discesserunt cum ea, quæ singulorum fidei, quæ affectus magnitudini responderet. Lictoribus quidem pœnitentiae gratia, latroni ad dexteram paradisus, Joanni (qui Ecclesiam referebat) Mater Divinissima, huic Johannes, & in Joanne fideles omnes testamenti legatione obvenerant; cum interim incredulorum perversitas duriesque non nisi turpissimum ingratitudinis stigma cordibus suis inuultum, & inde commaculatum novis sceleribus animum reportarint.



CON-

PRIMA.

49

CONSIDERATIO VI.

PRO DIE VENERIS.

SEXTA SACROSANTI MISSÆ
SACRIFICII EXCELLENTIA.

*Sacrificium Missæ est Sa-
crificium impetratorium.*

§. I.

Omnis generis bona impetrat.

Considera, divinum Missæ Sacrifi-
cium, cum omnis generis bona
a Deo nobis obtineat, mundi hujus
veluti columnam esse ac basin, cui in-
nixus nequeat interire. Quidquid me-
ritorium Redemptor noster universo
sanguinis sui pretio comparavit, id
omne sacrificii ejusdem beneficio ap-
plicari nobis voluit atque impendi.
Siquidem, ut Angelici fert sententia,
(a) quidquid est effectus Dominicæ Passio-
nis, est effectus hujus Sacrificii; continet
enim

(a) In cap. 6. Joan Lett. 6.

enim in se Christum passum. Sed ut ad particularia descendamus, imprimis impetrat nobis omnia bona, quæ animæ salutem concernunt, nisi ex parte nostra obicem ponamus. Hinc illa obturatis mentibus adeo operosa admissorum scelerum detestatio; hinc victoria temptationum, tam externarum, quæ a malis sociis, perversis exemplis, & hoste infernali proveniunt, quam internarum, quæ a carne nostra rebelli, ab inveteratis habitibus, ab inconstantia arbitrii nostri proficiuntur. Hinc rursus parta ex domestico hoste trophæa, compressi carnis insolescens tumultus; coercita verus in malum propensio, atque inconstantis arbitrii firmata vestigia. Hinc illa usque; adeo semper necessaria gratiæ adjumenta, quibus aut lapsus resurgas; aut titubans in vestigio confirmeris; aut denique hæsitans, ad præfixam metam contendas. Adhæc ipse quoque terrenarum, quæ sempiternam felicitatem sæpius haud mediocriter promovent, rerum affluxus, virium robur, corporis incolumitas, concor-

concordiæ pacisque otium ex hoc ipso
bonorum omnium fonte, ex Missæ
Sacrificio promanant. Adversantis
contra fortunæ vices, contagiosæ
luis excidia, terræmotuum strages,
bellorum incendia, famis necessitates,
persecutionum procellas, litium tu-
multus, discordiarum turbines, pau-
pertatis ignominiam, calumniarum
injuriarumque probra, immanem de-
nique cæterarum calamitatum torren-
tem, quis aliis, ne ocyus universam
terrarum superficiem inundet, agger
avertat, nisi quem Ecclesia ex speciali
Dei providentia malis omnibus oppo-
situm agnoscit, divinum scilicet Missæ
Sacrificium, ex quo omnia bonorum
genera in mortales omnes derivari
confitetur? *Omní benedictiōne cælesti &
gratia repleamur per Christum Dominum
nostrum*, quemadmodum habet canon
Missæ. Ut proinde aurea cœli clavis
dici possit, qua concessa Pater cœlestis
nil jam hominibus obseratarum volue-
rit, sed bonorum omnium fecerit po-
testatem. *Qui proprio Filio suo (verba
sunt Apostoli) non pepercit, sed pro
D 2 nobis*

nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? (a)

§. II.

Omni Personarum Conditioni impetrat.

Considera, Missæ Sacrificium non modo bona omnia, sed etiam pro omnibus, quantum est ex parte ipsius, eadem impetrare posse. Nam ut Doctor Angelicus sentit (b) *in immolatione bujus Sacramenti effectus est universalis, pro tota Ecclesia tam vivorum; quam mortuorum, quia in ipsa continetur causa universalis Sacramentorum, quæ est Christus.* Primas autem hinc obtinent iusti, urypote qui Christo Iesu arctissimo charitatis vinculo seu membra capiti intime conjuncta, ejusdem virtute ac Spiritu animentur. Quos inter etiam veniunt defunctorum manes, piacularibus flammis denti, quibus Missæ Sacrificium non modo suffragatur tanquam satisfactorium, quo pænam solvant, sed etiam

tan-

(a) *Rom. 8. 32.*

(b) *In cap. 6. Joan. Lett. 6.*

tanquam imperatorum, quo veniam
& liberationem obtineant. (a) quem-
admodum ex antiqua Sanctæ Ecclesiæ
consuetudine colligitur, qua non so-
lum Missam offert pro animabus pur-
gantibus, sed etiam in illa pro earum
liberatione orat. Hac eadem vi pec-
catores videoas in salutares solvi lacry-
mas; pervicacium corda emolliri in
pœnitentia singultus: imo ipsorum
adeo infidelium cæcitati lumen fidei
oriri. Atque hæc est, quam nemo sibi
defore conqueratur, zeli exercendi
peropportuna occasio, cum quis pro
reducendis idololatris sacro Missæ offi-
cio præsentiam vel operam suam com-
modat. Siquidem divinum hoc opus
ea pollet virtute, ut ad instar solis,
quo aperte lucis suæ radios diffundere
prohibetur, eo se se occulto penetrat
influxu, recessusque intimos ac remo-
tissimos pervagetur. Proinde nemini
desperatae adeo mentis perditæ
que conscientia est invenire, cuius
occur-

(a) Suarez scđ. 6. Lug. scđ. 9. n. 158.

occurri malis hac via nequeat, vel
aliud quantumvis eximum, & singu-
lare commodum procurari. Hac de
causa Sacerdotem velut Communem
omnium parentem, aut humani gene-
ris orbisque totius legatum licet suspi-
cere, qui cum ad aram gradum pro-
moveret, salutis commode negotia, divinæ Majesta-
tis petat alloquium. Cui hominum
felicitati cum vipereum illud devotum-
que stygi Caput Antichristus invideat,
funesto orbem Christianum extermini-
o daturus, hanc in primis columnam
concutere, hoc opus subvertere, hoc
exscindere Sacrificium molietur, ea
prorsus ratione, qua Holofernes Be-
thuliae imminens succidit aquæ ductus,
ratus, haud faciliore invento cives ad
traditionem compelli posse. Et quan-
quam perfidus ille stygis emissarius di-
vinum hoc mysterium penitus tollere
non possit, sed publicum duntaxat illius
usum abrogare; uti tamen sole
non sublato quidem sed tamen eclyp-
sin paciente languere universa conspi-
ciuntur, ita rei Divinæ obnubilato ful-

gore

gore juxta illud Divi Matthæi (a)
multorum Charitas refrigerescet. Utinam
 intelligerent cæci mortales,, quale,
 quantumque bonum in Missæ Sacrifi-
 cio latitarer! *Si scires donum Dei!* (b)
 fieri profecto haud posset, quin om-
 nium corda indesinenter ad Altare ve-
 lut magnes, ad polum suum conver-
 terentur, inde non nisi vi ac impetu
 abstrahenda.

§. III.

*In quo fundetur hæc vis Im-
 petratoria.*

Considera, unde hæc tanta virtus,
 quæ bona omnia in mortales om-
 nes diffundat, Sacrificio obvenerit.
 Scilicet ex ipsis offerentium meritis,
 & ipsa eorum intercessione promanat,
 e quibus primas Christus ipse obtinet;
 proxima vero est Ecclesia, quæ una
 cum Sacerdote cæterisque adstantibus
 subrogati Ministri officio perfungitur.
 Primo igitur JEsu Christi meritis pre-
 cibus-

(a) *Matth. 24. 12.*

(b) *Joa. 4. 10.*

cibusque hæc Sacrificii virtus innitur, ut qui sempiternum gerens Sacerdotium, & eximio virtutum omnium splendore collucens, supplicem se Patri æterno sistit. *Apparet vulnus Dei pro nobis* (a) Infinitam quandam reverentiam Divinæ majestati exhibet, & triplici potissimum ratione mortaliibus Deum conciliar. Primum quidem sanguinis sui voce potenter perorat, & Sacratissima protendit vulnera, quorum vel solus aspectus, quidquid gratiarum est, nobis valeat obtinere. Deinde fusas in cruce, & vita hac mortali preces, uberesque lacrymas exhibet, quæ ad subvenendum humanis calamitatibus paternum pectus emolliant. Demum ceu humani generis Caput petitiones nostras & suo subscribere nomine, & ad Patris alloquium deferre non dēsignatur, certo semper subsecuturæ opis arguimento. Ecclesia quoque ipsa justorum sanctorumque omnium merita, fidem præterea suam fiduciamque interponit, quæ nulla Ministri indignitate

con-

(a) *Hebr. 9. 24.*

confundi possit, aut irritari. *Domine ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuæ: ita Sacerdos ipse in Canone humillime deprecatur.* Denique & qui Missæ Sacrificio præsentes, suam Sacerdoti operam jungunt, quibusque oblatio illa applicatur, conjunctis Deo studiis supplicant, atque pro fidei ac pietatis ratione, qua erga divinum hoc mysterium feruntur, ad publicos privatosque uniuscujusque libellos supplices optatum consequuntur responsum. Quæ causa est, quod fidem hanc & devotionem, velut ad rei summam, & negotii hujus gravitatem plurimum conferrent, Sacerdos in Canone alleget, dicatque: *Quorum (eorum videlicet, qui offerunt, & pro quibus Sacrificium offerunt.) tibi fides cognita est, & nota devotionio.* Ex quibus rei speique nostræ firmitatem licet arguere, ut quæ justorum omnium precibus, quodque id infinites superat, Dei Filii intercessionibus innitantur. Itaque nil prohibet, quo minus de se quisque, quod olim Propheta, dicere possit.

Factus

*Faetus est mibi Dominus in refugium,
& Deus meus in adjutorium spei meæ.* (a)

Quid igitur mirum, si Ecclesia, Mater nostra Sanctissima tantum tribuat Missæ Sacrificio, proque certo habeat, inde orbis totius incolumitatem pendere. *Offerimus* (inquit in ejus vicem Sacerdos) *caicem Salutaris*, *ut pro nostra & totius mundi Salute cum odore Suavitatis ascendat*. Unicum Missæ Sacrificium, si vim ejus incircumscripamt consideres, toti hominum generi salutem, malisque omnibus medelam, afferre possit; ne vero, quantum possit, efficiat, ipsi in causa sumus, qui torpore nostro virtutem ejus obtundimus, immensamque efficaciam nimium, heu, angustis limitibus coarctamus: cum tamen nihil petere, nihil possimus optare, quod non infinitum excedatur victimæ illius pretio, quam in Christi Sacrosancta Humanitate Deo offerimus. Hinc est, quod divus Chrysostomus Angelos hoc præcipuum temporis punctum

(a) *Psal. 93. 22.*

punctum opperiri existimet, quo efficacius pro nobis suas apud omnipotentem preces interponant, cum id cuivis beneficio, gratiae cuiuslibet obtinendae opportunissimum esse non ignorent: adeo ut alia occasione per quam difficile sit obtainere, quod hoc maxime tempore, dum Missæ Sacrificium intervenit, impetrare non possumus.

Verba præfati Doctoris sunt. *Ipsimet Angeli huic temporis invigilant, usque maiore possint cum efficacia pro nobis intercedere.* (a)

Apertum igitur, nostrisque expositum oculis prostat immensarum opum ærarium; & extrema nihilominus cum egestate luctamur. Nempe hactenus substitimus foris, at non jam sic deinceps: non jam sic. Davidis imitemur exemplum, & unusquisque dicamus: *introibo in potentias Domini.* (b)

CON-

(a) *Hom. 3. de Incompreh. Dei nat.*

(b) *Psal. 70. 16.*

CONSIDERATIO VII.

PRO DIE SABBATHI.

SEPTIMA SACROSANCTI MISSÆ
SACRIFICII EXCELLENTIA.*Sacrificium Missæ est idem
cum Sacrificio crucis.*

§. I.

In quo conveniat.

Considera, ut tremendi Missæ Sacrificii prærogativas uno quasi verbo complectamur, abunde sufficere, si hoc idem esse cum crucis Sacrificio asseveremus. Id Ecclesiæ ipsius clarissima verba innuunt, cum ait: *Quoties hujus hostiæ commemoratio recolitur, toties opus nostræ Redemptionis exercetur.* (a) Exercetur, inquit, opus ipsum, ne quis nudam solum renovari hic cruentæ illius oblationis ac Sacrosancti mysterii memoriam arbitretur. Quod ipsum Sacra Tridentina Syno-

(a) *In Orat. Dom. post Pent.*

Synodus docet. (a) *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Certe victima, quæ offertur, est eadem, primarius Sacerdos est idem, eadem igitur & oblatio sit, oportet, paucis soluminodo, quæ eam comitantur, circumstantiis diversa: eum fere in modum, quo magnus quispiam Rex, dum in acie Victor, proprio & alieno sanguine conspersus, de suis hostibus triumphat, diversus non est a se ipso, inter togæ & pacis otia intra obscuræ domus angustias delitescente. O sancta Fides! O si tandem mentis nostræ tenebras tuæ lucis plenitudine illustres, pectusque accendas! dispiceremus utique sole meridiano clarissimus, nos cum templum accedimus, Calvariæ montem conscendere, ut manantem e cruce sanguinem pleno sinu excipiamus, eoque animas nostras abluamus. Videremur nobis quasi oculis usurpare, non jam Sacerdotem, sed Christum Jesum ad aram

(a) *Seff. 22, c. 2.*

aram facere, admiranda illa sacrorum verborum enunciatione non universam modo cælorum curiam in extaticum stuporem trahere, sed & ipsum inferorum barathrum tremore conutere. Et qui tunc fieri posset, ut quis voluntariis mentis evagationibus, ne dicam, incontinentis linguae, obtutus parum honesti, corporis immodesisti excessibus, aliisque tremendi hujus mysterii profanationibus, ut fieri hodie ingemiscimus, locum concederet? Ingrati orbis Dei Filio semper insultantis portentum! Itane vero Redemptoris tui cruentam mortem, ita funeris, quo ipse revixisti, memoriam prosequeris?

§. II.

In quo differat.

Considera, Sacrificium Missæ, etsi, ut diximus, idem sit cum illo crucis, in aliquibus tamen ab eodem discrepare, idque nostro maximo commodo. Primo alias est offerendi modus. Amor quidem ille infinitus,

tus, quo divinus Filius Patrem suum,
quo nos omnes, ut ut vilissimas crea-
turas prosequitur; suscepimus item
Sacerdotii munus exigere videban-
tur, ut ad mundi usque interitum
pro supremæ Majestatis obsequio nos-
traque utilitate in cruce suffixus per-
maneret: At vero cum debita Au-
gustissimo Christi corpori gloria aliud
postularer, orbemque dedecret, hor-
rendo adeo Deicidio per tot Sæcula
funestari, miro prorsus inauditoque
invento effecit, ut & cruentæ Pas-
sionis scena morsque atrocissima ci-
tra ullam crudelitatem in dies mystice
innovaretur, & nulla sanguinis pro-
fusione litantium manus fœdarentur.
Arque hac demum ratione perpetua
factus est victima, quæ non in vete-
ribus solum Sacrificiis ab ipso mundi
exordio immolata fuit, juxta illud
(a) *Agnus, qui occisus est ab origine mun-
di.* Sed & subsecuturis temporibus
usque ad mundi exitum in nostris al-
taribus immolabitur.

Deinde

(a) *Apoc. 13. 8.*

Deinde incuruentum hoc a cruento sacrificio differt quoad effectum. Siquidem Jesu Christi Passio bonorum omnium causa extitit universalis, eaque velut in immensum cumulum congesit; at divinum hoc mysterium est eorundem bonorum applicatio. Crucis Sacrificium capaces efficit redemptionis; Missæ vero mysterium in ejusdem nos possessionem immittit. Illud in Redemptoris nostri merita jus quoddam ac dominium; hoc eorundem usum confert. Denique etsi una eademque sit crucis & altaris hostia, parisque, hoc est, infinitæ utrobique sanctitaris, hic tamen modo longe magis oblitupescendo existit: namque divinissimum illud corpus ad instar Spiritus aut animæ humano in corpore detentæ, totum hostiam totam partesque ejus singulas minutissimas itidem totum, integrumque occupat: præterquam quod jam immortalitate donatum iis gaudeat prærogativis, quibus rediviva, cæloque illata corpora condecorantur. Quare quo admirabilior est immor-

immortalis cœloque recepti demissio,
eo etiam amplius honoris, grataque
obsequii in Augustissimam Triadem
transfundit. Quo sit, ut divinum
Missæ Sacrificium, cum unâ etiam præ-
teritarum in monte Calvariæ humili-
ationum memoriam refriceret, Arche-
typon simul & Ecþypon, æternumque
immortalis gloriae trophæum dici pos-
sit, quod Christus post debellatam atro-
cium inimicorum mortis scilicet, dæ-
monis ac peccati phalangem longæ
posteritati consignandum viætrici ma-
nu ingentique opere erexit. Justo
igitur horrore contremiscat, necesse
est, infernale Chaos, quoties ad tre-
mendi Sacrificii confectionem altum
sibi renovari vulnus sentit, & accep-
tæ cladis cogitur reminisci. E diverso
Angelicarum mentium chori Christo
triumphatori maximo partam victo-
riam jure meritissimo gratulantur. Imo
Christus ipse, qui cum viveret, fre-
quentem adeo passionis suæ mentio-
nen fecerat, immenso gaudio exul-
tat, quod eam modo nunquam satis
admirando ubique gentium recoli, in-

E nova-

novarique in dies conspiciat. Nunc apud te ipsum statue, quid agere, quid cogitare oporteat hominem, cuius causa omnipotens tantum opus, tantamque rerum divinarum Majestatem intendit.

§. III.

In quo antecellat.

Considera, cruentum crucis Sacrificium ab incruento Missæ Sacrificio ex parte etiam superari. Et primo quidem, si temporis ac loci ratio habeatur: quippe semel duntaxat in vertice Golgothæ immolatum fuisse, tresque non amplius horas (totidem enim ex infamili ligno Redemptor noster peperit) oblationem illam tenuisse legimus; cum interim in Missæ Sacrificio ubique gentium, horisque diei singulis per omnem, quam late pater, orbem immoletur: & si minus patibulo, certe panis vinique speciebus velut affixus, Sacerdotis manu attollitur, mediator perpetuus Deum inter & homines.

Præterea excellit etiam Sacrificium Missæ Ministrorum Sanctitate. Ad Sacri-

crificium Crucis concurrerunt imma-
nissimi carnifices per peccatum omnium
maximum, scilicet Deicidium: Ad Sa-
crifictum Missæ concurrunt Sacerdotes,
ipsaque Ecclesia per exercitum præci-
puarum virtutum, Fidei, Humilitatis,
Spei, Charitatis, Religionis. Adde,
quod magna spectantium turba in mon-
te Calvariae novis fœse novisque scele-
ribus obstrinxerit, cum eorum non
pauci morientem pro se Dominum bla-
phemio ore prosciderint, multi op-
probriorum plaustris onerarint, pleri-
que, omnes vel aversati sint, vel quis-
eset, suo scelere ignorarint. At vero
incruento Sacrificio adstantium plurimi
aut deponendis criminibus, aut expun-
gendi, quæ apud divinam Justitiam
contraxerant, debitis utuntur: neque
ullus est, qui latentem sub Eucharistia
velamine Jesu Christi divinitatem non
reveratur, non adoret. Ubi vides,
Sacrificium Missæ alterum illud crucis
suo modo perficere, eo quod Dominus
ac Redemptor noster illius institutione
sublatum voluerit, quidquid huic ho-
minum perversitas impietatis insperse-

E 2 rat,

rat, præclarissimis virtutibus in scele-
rum locum sufficit. Hinc sit, ut cum
litari sibi hanc hostiam conspicit divi-
nissima Trias, juxta sapientis effatum
(a) *Gaudio ejus non miscebitur extraneus.*
Liquidissimo, quod nullius culpæ inter-
turbet admixtio, gaudio perfundatur.
Porro divinis hisce consiliis e diametro
adversantur, qui cum tremenda hæc
Mysteria vel peragunt ipsi, vel peragi
adspiciunt, peccatorum inquinari for-
dibus, vel sacrilegiis pollui, vel mille
incompositæ mentis excessibus sese ob-
stringere non verentur. Quod si nullo
non tempore, nullo non loco peccatum
sit derestandum, quis unquam satis ex-
plicare potest, quam abominandum sit
illud, quod in opere tam Divino, quale
est Missæ Sacrificium, perpetratur?
Divino inquam, opere; siquidem soli
Deo potest offerri. Maledictus itaque,
qui Divino huic operi nefanda immisce-
re non veretur. Maledictus, qui facit
opus Dei fraudulenter. (b)

(a) *Prov. 14. 10.*(b) *Jerem. 48. 10.*

PARS SECUNDA

*Propanitur Praxis devote
audiendi Sacrum.*

Parca est subtus exspectantibus palma, si quam in se ascendentibus pollicetur, fructuum copiam consideres. Hinc sacra in canticis (a) sponsa, cum alias satis sibi fieri posse desperaret, ascendam, inquit, in palmam, & apprehendam fructus ejus. Porro non aliud per hanc palmam, quam salutare crucis lignum (b) atque adeo Missæ etiam Sacrificium intelligitur, quod cum illius victima reapse convenire jamjam perspeximus. Tunc vero in eam demum enitimus, densos fructus decerpturi, quando anima nostra ad radicem hujus arboris consideret, excellentias fructuum considerat, modumque ac rationem hosce fructus parti-

(a) Cant. 8.

(b) Cornel. à Lapid. hic.

participandi in praxin redigit. Nam licet horum fructuum aliqui sponte sua in sinum nostrum illabantur, rari tamen sunt in comparatione eorum, qui per attentam cooperationem, & singularem devotionem colliguntur, sponsæ scilicet exemplo, dum dixit, *apprehendam &c.* Quo ergo proprius ad hanc praxin deteramur, id in primis præsupponendum occurrit, Missæ Sacrificium, ni vacuum esse velis, non præsentiam duntaxat hominis, sed vel maxime factam ab eo una cum Sacerdote sui oblationem exigere. Quod factitandum non uno sacri Canonis loco Ecclesia commonet, cum eas Sacerdoti verborum formulas suggerat, quibus ille universæ concionis interpretem agere, communique omnium ore se Dominum deprecari demonstrat. Cum enim Sacrificia sint primum Religionis debitum, supremusque, quem Deo deferimus, cultus; æquum minime videbatur, quemquam eximi ab hoc tributo, si non per manus proprias, saltem per alienas præstando. Optima proinde Missæ Sacrificium auf-

auscultandi ratio fuerit, Sacerdoti se animo, virtutumque actibus, quantum res patitur, accommodare, eumque vel maxime in rectissima mentis intentione sequi, quam ille dum re divina fungitur, & sibi praefigere, & observare identidem debet. Porro Missam in quinque omnino partes commoda partitio dividimus, quarum prima Præparatio; Instructio, Oblatio, Communio, Gratiarum actio reliquæ nuncupentur. Quare his omnino passibus optimum fuerit Sacerdotem comitari, quo & devote & utiliter Divino huic interesse Sacrificio valeamus.

*Quid in Prima Sacrificii Parte, seu
Præparatione agendum?*

I dem scilicet agemus, quod Sacerdos, qui ut primum ad aram accessit, animo sese demittit: Deum nostrarum veniam rogat, Spiritus Sancti consilium fecutus, cum ait: *justus prior accusator est sui*: (a) cumque totius humani generis personam referat, etiam pro

(a) *Proverb.* 18.

pro omnium delictis Deum deprecatur. Et haec pars prima est; atque Præparatio dicitur. Tu quoque cum Sacerdote hinc precum tuarum ducas initium, animo ad compunctionem, peccatorumque tuorum detestationem composito. Quem in finem ea oratio, quæ confiteor dicitur, inducta est, quod si vero eam minus assequi valreas, aut servare non lubeat, sequentem substituo, eliciendo cordis dolori peropportunam.

Actus Contritionis.

Quis unquam credidisset, vilissimum terræ vermiculum eo audaciæ processurum, ut Deum omnipotentem, qualem te esse confiteor, Deus meus! sperneret, derelinqueret? & tamen te ego toties peccatis meis contempsi, & quod plus est, ea remeritare ac imprudentia te contempsi, ac si ruis in me oculis nunquam esses intentus, nec reum momento quovis æternum plectere potuisses. Ah! peccavi, fateor, peccavi coram te, & in totius cœlestis Curiæ conspectu inique egi. Te ego in

in Sanctorum omnium oculis offendit,
qui tibi tanta semper constantia & in-
concupiscentia fide servierunt. Coram sa-
craissima Virgine Maria ego deliqui,
cujae divinissimum Filium rursum Cru-
ci affixi. Coram cœlestis aulæ Principi-
bus Michaeli Archangelo, Joanne Bap-
tista, Petro ac Paulo te offendit, qui
tamen, ut tuæ sanctissimæ voluntati
obtemperarem, tot mihi sanctissimis
exemplis præluxerunt. Agnosco igit-
tur me peccatis ijsque gravissimis ple-
num, quæ ego super omnia alia mala
detestor; & ideo detestor, quia sunt
contra te, tibique super omnia alia
bona amato displicent. Ah! quam
vellem ex animo, ea me nunquam
commisisse, nunquam me tibi tanta
injuria displicuisse. Jam vero, bone
Deus, cui nihil est impossibile, jam
brachii tui potentiam ostende: dele
iniquitates maximas, peccatorisque
hujus infelicitatis salutem effice. Da mi-
hi gratiam nunquam amplius te offen-
dendi, tantum te deinceps amandi,
quantum te omnibus retro tempori-
bus offendit: hanc mihi gratiam à te
impe-

impetrare velint ipsa in primis Virgo
sanctissima, omniumque Advocata Ma-
ria, & electi mei Patroni omnes, ut
eorum exempla secutus, deinceps in
præceptis tuis ambulem, & tuo cum
illis confortio æternum perfrui merear.
Amen.

*Quid in secunda Sacrificii Parte, quæ
instrucción dicitur agendum?*

Post peractam hujusmodi confessio-
nem à gradu infimo aram pro-
pius accedit Sacerdos: & quæ hinc
ad Offertorium usque peraguntur,
Instructio dicitur; eo quod hic fidei
nostræ instruamus doctrina, quæ cum
in Prophetarum, & Apostolorum sen-
tentiis, tum in ipso Dei Filii Evan-
gelio continetur. Si igitur tibi Sa-
cerdotis verba percipere, & assequi
mente concessum est; satis amplum
eliciendis variis animi affectibus, per-
discendisque, ac ruminandis æterna-
rum veritatum dogmatibus campum
nactus es. Secus vero si accidat, uti-
lissime te impendes ponderandæ con-
siderationum alicui, quas in prima
Libelli

Libelli hujus parte super Missæ Sacrificii prærogativis sumus complexi.
In hunc enim finem per singulos hebdomadæ dies singulas distribuimus.

Quid in tertia Sacrificii Parte seu Oblatione agendum?

Instructionem continuo sequitur Oblatio; atque hæc Fidelium Missa dicebatur, quod Cathecumenis dimissis, ij duntaxat interessent. Hæc initium dicit à panis, vinique oblatione, & ipsa eorum consecratione, in qua divini Sacrificii essentia consistit, terminatur. Ab hoc igitur temporis puncto, Offertorio scilicet ad ea usque verba, *Agnus Dei*, ubi Sacerdos sumendis sacris speciebus magis se magisque disponit, eundem sequi poteris, & Sacrificium hoc ad eos, quos supra diximus, a Christo intentos, quosque & Ecclesia quadruplici, quæ à Sacerdore distinctius fieri solet, Oblatione denotat, fines itidem offerre. Nam ad ea verba, *Suscipe sancte Pater*, &c. illud specialiter offert pro peccatorum remissione; ad illa vero: *Suscipe*

cipe sancta Trinitas, &c. in gratiarum actionem pro beneficiis; cum dicit: Te igitur Clementissime Pater, &c. pro bonis quibuscumque imperrandis: ac denique cum paulo ante consecrationem dicit: Hanc igitur oblationem, in summum Dei honorem, ac cultum tanquam holocaustum. Atque hujusmodi incensis animi affectibus, virtutumque exercitio, usque dum ad orationis Dominicæ: Pater noster &c. recitationem deveniat, Sacerdos immoratur. Cujus proinde & ipse tenebis vestigia eo fere (citra anxiatem animi, & pietatis perturbationem) quem subnectimus, modo. Quod si elevatione Hostiæ aut Calicis interpellari orationem contingat, id neutiquam pietatis sensum imminueret; quin excitabit magis, & accendet.

*Oblatio Missæ tanquam Sacrificii
Propitiatorii pro peccatis.*

Qua tandem fronte, Magne Deus! tuum ego subire conspectum præsumerem, nisi tuam deprecaturus clementiam accederem? En me igitur ante

ante tuos prostratum pedes peccato-
rum meorum pondere depresso:
en confitentem reum, aeternæ Judex,
quia iniquitates meæ multiplicatae sunt
supra numerum, ad quas supportan-
das non nisi infinita patientia sufficit:
sed modicam, Domine, adhuc patien-
tiam habe in me; & modum, quo om-
nia reddam tibi, me demum adinvenisse
existimo; Filius enim tuus unigeni-
tus suorum mihi meritorum thesauros,
sanguinis sui pretium offert, quo meis
me exsolvam debitibus: quasi mortem in
hac denuo ara paratus est oppetere,
ut ego per ipsum vivam. Hanc igi-
tur necis victimam, haec merita divi-
nae Justitiae pro totius mundi, meis
que, quibus vel maxime premor, pec-
catis offero. Poenitet me ex toto cor-
de: de iis doleo, eaque detestor:
odi; quia scilicet tu illa odisti, & in-
finitum aversaris. Utinam, O me fœ-
difragum! utinam tibi semper fidelis
extitissem! te semper amassem! tuis
semper obtemperasse mandatis! ve-
rum quandoquidem ab iis tam tur-
piter defeci; quandoquidem tantam
tibi

tibi injuriam irrogavi, quanta fuit,
sordidam perversamque meam rectissimæ divinæque tuæ voluntati antetulisse: aspice æterne Pater, ut pro me tibi honorem reddat Redemptor meus, qui tam perfecte tibi obedit, & nunc denuo tui amore obedit voci Sacerdotis, ut seipsum immolet in satisfactionem pro injuriis, quas divinæ Majestati tuæ nos creature vi-
lissimæ intulimus.

Hac ego oblatione confusus non modo delictorum veniam, sed & efficacia spero, petoque auxilia, ne amplius tam bonum, benignumque Dominum offendam, qui cum ipse sit Iesus, ipse sit, qui ad iracundiam à me provocatus, tamen ex Filii sui visceribus pretium eruit, quo ei satisfaciāt. Tuam gratiam pro cæteris quoque peccatoribus omnibus peto suppliciter, ut & ipsi tandem aliquando agnoscant, quam malum, & amarum sit, te dereliquisse fontem aquæ vivæ, & vieti amore tuo ad te revertantur, nunquam amplius recessuri. Amen.

Oblatio

*Oblatio Missæ tanquam Hostiæ Paci-
ficæ pro Gratiarum actione.*

O Deus, ac Dominus meus, bonorum omnium fons inexhaustus & indeficiens! quis unquam valeat *comprehendere*, quæ sit tuæ in nos beneficiæ latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. (a) Si enim nec minimum beneficiorum tuorum digne possumus aestimare; quomodo gratiarum omnium cumulum, quibus nos undique obruis, pro merito extollemus; Sed gaudeo ex animo, quod cæteris donis tuis aliud insuper addideris longe maximum, hostiam videlicet pacificam, qua tibi pro munerum tuorum dignitate & numero gratias referremus. Nimis igitur erga tantam liberalitatem ingratus essem, si hujus Sacrificii oblationem negligererem. Proinde en tibi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, en tibi Redemptoris mei merita universa, & divinissimi ejus sanguinis pretium omne; quæ per manum Sacerdo-

(a) Ephes. 3. 18.

cerdotis offero in gratiarum actionem
ac compensationem pro beneficiis om-
nibus jam collatis, ac tota æternitate
conferendis.

Præsertim vero tibi gratias ago
pro immensis thesauris ac divitiis in
Sacratissima Christi humanitate repo-
sitis, proque eodem nobis in Redemp-
torem, Magistrum, Exemplum, &
advocatum concesso.

Gratias quoque ago pro innume-
rabilibus donis Sacratissimæ Virginis
Mariæ communicatis; pro eo, quod
eam Filii tui, nostramque omnium
Marrem constitueris: gratias pro gra-
tiis universis, quas Angelis, & Electis
omnibus, ac præsertim Angelo tute-
lari, Patronisque meis concessisti: gra-
tias tibi etiam ago pro beneficiis om-
nibus in reprobos effusis, iis maxime,
quæ, ut pro iis tibi grati essent, illi
agnoverunt nunquam, aut modo non
agnoscunt.

Denique gratias ago pro immensa

81. 8. 1612. 1612. 1612.

tua erga me bonitate, qua tuam in
me creando potentiam, in conservan-
do, defendendo, vocandoque ad fidem
providentiam, & tantam in me ad pœ-
nitentiam post lapsum exspectando pa-
tientiam demonstrasti. Gracias ago,
quod me in Sacramentis justificare, rot
gratiæ auxiliis in viam salutis æter-
næ deducere, omniaque hæc tanta be-
neficia, aliaque longe maxima tua sei-
licet in creaturam vilissimam propen-
sione ac amore quodammodo sigillare
dignatus sis. Pro his igitur alisque
innumeris, quas ego nec agnoscerem,
nec æstimare valeo, gratiis sacrificium
hoc divinissimum accipe, æterne Deus,
in eoque plenam pro insufficiencia
omniæ mea ingratitudine satisfactio-
niem ac compensationem, quæ tibi in
momenta singula, omnemque æterni-
tatem debetur, ratam acceptamque
habeas. Etenim ab æterno in æternum
misericordia tua. Amen.

*Oblatio Missæ tanquam Sacrificij
Impetratorii*

Si necessitatum mearum nullus est
numerus; nec tuæ, Pater miseri-
cor-

F

cor-

cordiarum, bonitatis ullus est terminus. Vere enim misericordiarum es dives, ut qui nobis filium tuum unigenitum in amoris pignus reliqueris, eumque pro cuiusvis gratiae impetracione in Sacrificio mediatorem constitueris. Atque hic est ille Dominus meus Jesus Christus, quem tibi jam sisto, tibi pro bonis omnibus obtinendis repræsento. Reminiscere, Pater cœlestis, ne cum Filii tui dolores ac mortem pro meritis fuisse compensaram; ac proinde immensum etiamnum superesse, quod ex ejus thesauris in me, ut ut indignissimum, possis effundere. Fac igitur, ut superabundare videantur fructus amarissimæ passionis ejus, quam tibi per Sacerdotis manus denuo offero pro mea, totiusque mundi salute: quomodo negare amplius poteris, quod alias pridem concessisti? cum Filium tuum dedisti, jam omnia cum illo nobis donasti. Quod si hoc non sufficeret, ut a te audiamur, is ipse, ut precibus nostris annueres, jam olim instituit, instatque etiamnum hoc super alterum.

tare immolatus. Quare si meas, etiam illius preces exaudis, & cum tuam mihi misericordiam exhibes, erga ipsum exerces justitiam. Atque hac ego fidei veritate confusus, Pater cœlestis, meas tibi, totiusque humani generis indigentias detego, privatas juxta ac publicas, tam corporis quam animi necessitates omnes expono, totoque præcordiorum affectu rogo, ut iis opem ac medelam afferre digneris. Miserere, Domine, tot infidelium ac hæreticorum, tot in peccato mortali degentium, justorumque tam repide tibi servientium. Da innocentibus lumen, quo hanc suæ felicitatis dignitatem agnoscant, & tueantur: da cum tentatione luctantibus robur, quo viriliter hostium insultibus obstent: da à lapsu surgentibus firmitatem, quæ damnata veteris vitæ consuetudine in bono persistant: omnibus denique tibi servientibus charitatis ardorem concede, quo majori nominis tui gloriae intenti, te impensius semper amare pergent. Memento etiam omnium pauperum, ægre decumbentium, om-

nium cum morte, & pro felici æternitate luctantium, captivorum quoque, & omnium in quacunque necessitate gementium, quos, rogo, tuo erigere velis auxilio, & solatio delinire: quos omnes tanquam proximos meos, omnipotenti virtute ad imaginem tuam creatos, torque doloribus ac pretioso sanguine Filii tui reparatos diligo, atque intimo cordis affectu complector. Ecclesiam tuam, Domine, sanctificare digneris: Filii tui in terris Vicarium Spiritus sancti afflatu gubernas; Episcopos, ac Sacerdotes dirige: conserva inter christianos Principes pacem: benefac omnibus nos odio habentibus: tuere fidelium omnium gregem: & tuæ pietatis clementiam in animas quoque piacularibus flammis derentas effunde: super omnia autem miserere animæ meæ pauperculæ, quam tibi ceu meo, & Domini mei Jesu Christi, Patri in manus consigno: aufer ab ea, quidquid tibi displiceret. Da mihi fidei, spei, charitatisque augmentum, & ut te, meque ipsum noverim, concede. Ex*cita*

cita in corde meo magnum veræ con-
tritionis affectum; nequé unquam per-
mittas, ut re amplius ullo peccato of-
fendam; sed potius gratia tua efficias,
ut semper in præceptis tuis ambulem,
& ad te denique tota æternitate aman-
dum, fruendumque pertingam. Amen.

Hac triplici oblatione facile tem-
pus illud insumptum iri existimo,
quod ab offertorio ad hostiæ & ca-
licis elevationem intercedit: quare
pro hac quoque geminas precatiun-
culas subnectimus, ad quartam subin
oblationis tanquam holocausti speciem
processuri, quæ summam æterni Nu-
minis gloriam sibi habet præfixam.

Ad Elevationem Hostie.

Oratio.

Ave Hostia sacrosancta, Tu es Fi-
lius Dei vivi, sub hoc panis vela-
mine absconditus. Adoro te proinde
cum omnibus te adorantibus, & una
omnium te non agnoscantium loco
adoro

Adoro. Esto mihi propitius in hora mortis, & hanc per infinita merita tua gratiam concede, ut te aliquando revelata facie videre, & contemplari æternum possim in cœlo. Amen.

Ad Elevationem Calicis.

Ave sanguis divinissime, Redemp-
tionis nostræ pretium, vulnerum
nostrorum pharmacum, & animarum
thesaure. Adoro te toto cordis affectu,
illique ipsi pro mea & rotius mundi
salute offero, e cujus vulneribus tan-
to amoris excessu pro nobis profluxisti.
Domine Jesu tuis famulis subveni, quos
preioso sanguine redemisti. Amen.

*Oblatio Missæ tanquam Holocausti pro
summa Divinæ Majestatis Gloria.*

O Deus unus, ac Trinus, Dominus
incomprehensibilis magnitudinis,
sanctus, sanctus, sanctus, & infinito
honore dignissimus! nimium egena,
depressaque est humana conditio, quam
ut honorem tibi debitum valeat exhibere.
Sed millies sit Dominus meus
Jesus

Jesus benedictus, qui se nobis in
Missæ Sacrificio victimam reliquit,
qua tibi par Majestati tuæ obsequium,
teque omni ex parte dignissimum cul-
tum deferre possimus. Huic igitur
Redemptori meo me conjungo, Pa-
ter cœlestis, teque cum meo, tum
creaturarum omnium nomine totis ani-
mæ viribus adoro: & licet creatura-
rum ego minima, & vilissima sim,
hoc tamen corporis & sanguinis Jesu
Christi Sacrificium cum infinitis ejus
meritis, humiliationibus, patientia,
cæterisque divinis ejus virtutibus of-
fero in contestationem supremi do-
minii, quod tibi in nos ceu primo
rerum omnium principio, ac fini ul-
timo debetur. Velle te ab omnium
gentium populis adorari: velle, ti-
bi omnes perfecte obtemperarent;
omnes, se tibi subesse, in omnibus a-
re pendere agnoscerent, & gloria-
rentur. Verum cum id fieri nequeat,
divinissimum, quod tibi jam offero,
Sacrificium meas & mortalium om-
nium negligentias suppleat. Hoc com-
penset omnes irreverentias, blasphemias

missas atque contemptus, quibus sanctissimum nomen tuum non solum in terra, sed in toto inferno proscinditur. Et haec demum victima, hoc holocaustum eum Domino meo Iesu Christo gloriam reddat, qua, ut ad mortem crucis obediens fieret, & sub hoc Eucharistiae velamine ad finem mundi usque latitaret, se ultiro abdicavit. Amen.

*Quid in Quarta Sacrificii Parte seu
Communione agendum?*

Ad illa verba, *Agnus Dei*, proprius se disponere incipit sacerdos ad Sacram Communionem, majorique proinde (ut res post lat) spiritus fervore incalescit. Et hic ejus tibi legenda sunt vestigia, si quidem ex sacrificio uberiora gratiarum fluenta in te velis derivare. Porro cum sumendi semper Dominici Corporis potestas non detur, resarcire alia via (spirituali scilicet communione) humus defectum poteris. Haec communio spiritualis, tam utilis animae, consilit,

sistit, ut ex sacrosancta Tridentina Synodo colligitur, (a) in ferventi exercitio illarum virtutum, quibus sine reali susceptione Sacramenti percipiuntur fructus Sacramenti, hoc est, unio cum Christo, velut amplectendo illum ferventibus desideriis, & obtinendo bona illa, quae afferre solet animæ, quando realiter præsens illum visitat.

Eiusmodi autem virtutum actus præcipue sunt actus fidei, humilitatis, spei, charitatis; qui etiam, cum reapse ad Deum Eucharisticum accedis, exornando animæ domicilio, ut digne in se sponsum accipiat, quadrant quam optime. Quo vero rei tantopere salutaris expeditior usus evadat, pectusque novis semper, novisque flammis inardescat, perbrevem, eamque in dies singulos hebdomadæ accommodatam praxin subjicimus. Ut enim diversa est in anima divinioris epuli virtus, ita Christum alia, aliaque induitum persona (id quod ex sepiem orationis Dominicæ petitionibus haud obscu-

(a) *Seff.* 13. c. 8.

obscure eruitur) & concipere, & alioqui licet.

Prima petitio ceu sanctitatis omnis authorem exhibet. Secunda Regis in eo dignitatem; Tertia sponsi amorem proponit. Quarta Pastoris Divini solitudinem; Quinta vero judicis demonstrat clementiam. Ex sexta tandem, & septima cum Redemptoris benignitas, tum Medici pietas elucescit.

Communio Spiritualis.

PRO DIE SOLIS.

Adspiratio ad Jesum omnis Sanctitatis Authorem.

O Deus infinitæ Sanctitatis, qui, ut Sanctitatem tuam nobis miseris creaturis communicares, olim te nobis in exemplum proposuisti, nunc vero etiam in cibum nobis concedis; quomodo tot sordibus, quot mea scaret inquinata anima, attollere ad te oculos audeat? mererer, fateor, ut perfectiones tuæ omnes, quas roties

per-

perversæ vitæ meæ licentia irritavi,
jam tandem in me armatæ consurge-
rent. At quam facile tibi, qui ipsa
bonitas es, accider, malitiæ meæ cas-
trum expugnare, efficereque; ut tam
prope in posterum tua sequar vestigia,
quam haec tenus a te procul aberrasse
convincor. Neque in hanc rem aliud
opus est, dulcissime Jesu! quam ut vel
unico me oculorum tuorum obtutu
digneris. Tantillumne igitur negabis
supplici, cum interim in ara ultimam
divinissimi sanguinis stillam offerre
pro ingrato non dubites? Ah! veni,
dilecte animæ meæ, & hoc miserum
cor, si minus corporis tui præsen-
tia, certe virtutibus & gratiæ tuæ
donis invise: ipse, quæ mihi sugge-
ris, desideria comple, ipse exaudi.
Reminiscere Domine, te non aliam ob-
causam te nobis in sacrificium obtu-
lisce, quam ut eo tuam in humanum
genus sanctitatem transfunderes. Am-
plius ergo lava animam meam, &
super nivem dealba, ut, quod mun-
dis corde pollicitus es, videre te in
sæcula merear. Amen.

Com-

Communio Spiritualis.

PRO DIE LUNÆ.

Aspiratio ad Jesum tanquam Regem.

O Rex animæ meæ! qui eo demissio-
nis excessu, quo Passionis tuæ tem-
pore pro joculari etiam rege derideri
voluisti, minime contentus, jam nunc
Majestatem tuam ad panis usque vili-
tatem depressisti; indignus sum, fa-
teor, & omni ex parte indignissimus,
qui te toties in cor meum recipiam.
Quid enim hic nisi vilissimum incul-
tissimi homuncionis rugurium subi-
res, qui nulla tantum hospitem hono-
ris significatione possit excipere? At
patere saltem, Rex divinissime, te
summum bonum meum suspirem, ad
te Dothinum meum semper amabilem,
semper benignum, in me semper pro-
fusum anhelem. Jube proinde, im-
pera; & ad nutum tibi obtemperare
semper raturum, fixumque est. In me
quis sis, in me gloriæ tuæ magnitudi-
nem demonstra. Fac me æternum ti-
bi incorrupta fide servire, ne unquam
fœdi-

mon

fœdifragus tuæ amplius refrager voluntati. *Domine mi, qui Rex noster es solus, adjuva me solitarium, & cuius præter te non est auxiliator aliis.* (a) Qui terræ molem tribus digitis immotam sustines; quam facile tibi accidet, etiam animæ meæ inconstantiam in bono firmare. Cumque tibi cordium humanorum dominium soli reservaris, id tandem in meum potenter exerce, ne tuo amplius adverseatur imperio, sed angelorum te semper ambientium exemplo ad mortem usque nutui tuo obtemperare addiscat. Cœlestis aulæ Principes, mei, vestrique regis obsequiis modo intenti, ah! pro me intercedite: hærepar semper cordi meo insculpta divinæ legis memoria: adveniat regnum ipsius in me, ut cui fidam amando hic vobiscum serviero servitutem, eodem, cum hinc migravero, in vestro consortio æternum perfrui merear. Amen.

(a) *Esther. 14. 3.*

Communio Spiritualis.

PRO DIE MARTIS.

Aspiratio ad Jesum tanquam Sponsum.

O Deus puritatis amator, coram quo & cœli immundi sunt, irane vero tui ego meique oblitus frontem obduxerim, ut te, qui pasceris inter lilia, contaminato peccatorum sordibus animo accedere non erubescam? avertant superi, ut ego tantum nefas... quin erubesco, vereorque nimis, sponsæ animæ meæ, tuum subire conspectum: sed a longe tantum elevans oculos ex abysso miseriарum mearum, ingemisco: si immundus ego sum, tu potes me mundare. Si anima mea datam tibi violavit fidem, tam perfecte eandem ad te convertere potes, ut te tantundem impostorum diligat, quantum hactenus prodendo contempsit. Neque enim ejus crimina efficere poterunt, ut sponsus sponsam repudies, quæ acceptæ in baptismi lavacro gratiæ dotem male quidem dilapidavit, at nunquam, quæ eam

eam complectaris denuo, misericordiae tuæ immensam abyssum exhaust. Et ecce! apertam scaturiginem e divinissimo sacramento promanare conspicio, in qua sitis suæ ardorem cor meum deponere concupiscit. Ea igitur amabilissime Domine, dilecte votorum meorum, summum & unicum Bonum meum! Ea gratiarum tuarum thesauros protrahe, quos in egenum liberali manu diffundas: respice in me oculis misericordiae tuae: ad cor meum loquere, & sonet vox tua in auribus meis. Quod maximum erat, pridem in cruce confectum est; jam reliquum perfice, & cœpto feli-citer, productoque in hunc diem salutis meæ operi ultimam manum impone. Ecce enim ad te revertor, sponse divinissime, pœnitentiae lacrymis superfusus, quibus ego præterita fractæ fidei defleo crimina: suscipe contritum, rescißumque meo sce-lere pacis fœdus innova, quod ribi denuo in fide & charitate despontata anima mea nunquam amplius rescindat. Amen.

Com.

Communio Spiritualis.

PRO DIE MERCURII.

Aspiratio ad Jesum tanquam Pastorem.

O Pastor animarum nostrarum, qui
solus es Pastor bonus, quia solus
es verus Deus! nonne pietatis im-
mensae excessus extitisset, si vel se-
mel e cœlesti illo viridiario ad requi-
rendas, quæ perierunt, oviculas su-
umque ad ovile reducendas in vastum
hoc mundi desertum concessisses? &
ramen in dies singulos toties te in fa-
cificio ad nos demittis; & quo sus-
ceperas pastoris partes quam exactil-
sime compleas, tuo etiam sacratissimo
corpo e famelicos nascere, potareque
divino cruento sanguinem non digna-
ris. Quare tantam in nos charitatem,
qui solus digne id potest, amor tuus
extollat, eaque quæ semper nostris
commodis invigilat, providentia, de-
bitas tibi grates persolvat. O si &
ego, quo par pari redderem, infinitum
erga te amorem possem concipe-
re! at sum licet creaturarum postrema,
hoc

hoc tamen amoris incendio cupio exar-
descere, ut in vitæ pascuis, quæ no-
bis Caro tua sacratissima in altari ape-
rit, merear collocari.

Quod si hoc mihi non concedatur,
saltem ne omni me exclusum velis re-
fectione: sed gratia tua famelicum
refice, ut ut Altaris Mysteria non ac-
cedentem. Tu solus es igitur, ama-
bilissime, dulcissime, ditissime Jesu
bonorum omnium scaturigo, tu so-
lus es, quem desiderat, quem affectat
cor meum. Ne jam te insequentem,
te anhelantem repellas, Pastor divi-
nissime! quem tam sollicite, tam ope-
rose inquisivisti, quem a te longe no-
veras discessisse. Bonus Pastor ponit
animam suam pro ovibus suis, quod
a te pridem factum in Cruce orbis
obstupuit. Fac me tandem sacrificij
hujus participem: tu, ne errem, ne à
semita declinem, dirige, & deflecten-
tem in viam mandatorum tuorum re-
duc. Amorem tuum mihi dona, &
dives sum satis, nec aliud ultra posco,
quam ut eum æternum conservem. Am.

G

Com-

Communio Spiritualis.

PRO DIE JOVIS.

Aspiratio ad Jesum tanquam ad Judicem.

O tremenda Majestatis Dominus, qui quanto nos ob delicta nostra jure condemnas, tanta etiam pietatis tuæ clementia ab interitu vindicas; ubi me abscondam a vultu iræ tuæ, si pro justitiæ rigore ad judicandum veneris? Lareas licet sub Eucharistici Panis velamine, iniquitatum ramen mearum seu pondus seu numerus te latere non potest. Quo me vertam igitur, ad quem contugiam, salutem quæsitus, nisi ad te Domine, qui solus omne delictum potes dimittere? Memento itaque, te necdum judicem agere, sed etiamnum mei apud Patrem Advocati partes sustinere. Eja igitur tuorum vulnerum cicatrices Patris conspectui exhibe; ad has enim appello, ad has provoco, quæ si meam causam egerint, ea nunquam cadendi certus sum. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. (a, O Jesu mi, Redemptionis meæ

(a) *Jerem. 17, v. 17.*

meæ pignus, cuius vel solum nomen
mihi salutis est tessera, esto mihi Je-
sus, & salva me; si tu enim pro me,
quis contra me? quantum ego te sus-
cipere, te in cor meum introducere
cuperem, ut merita tua me redderent
innocentem! Sed ad te accedere, ut
multorum scelerum conscius, refor-
mido; neque aliud jam superest, quam
ut eos in me misericordiæ tuæ effectus
sentire cupiam, quos ipse in me præ-
fens effecissem. Veni benignissime Je-
su, veni, & tuæ me lucis ac amoris
plenitudine reple, ut omni extincto
reatu, qui in te sperat, in te confidit,
reus salutem consequatur. Amen.

Communio Spiritualis.

PRO DIE VENERIS,

Aspiratio ad Jesum tanquam Redemptorem.

O amabilissime Redemptor meus!
quanto charitatis excessu animam
meam complectaris, necesse est, cum,
ut illam redimeres, sanguinis tui ly-
trum in Cruce persolveris. Jam vero
quasi id minime sufficeret, mihi ire-

G 2

rum

rum iterumque imensum hoc pretium
offers in altari, quo & contracta apud
divinam justitiam expungam nomina,
& pro culparum reliquiis integre sa-
tisfaciam. Laudent te æternum, Re-
demptor mi dulcissime, tuæ ipsius in
nos miserationes, ut quæ solæ gratiis
tibi ex æquo referendis possint suffi-
cere. Sed num forte, dum ad visen-
dum me venis, denuo in manus pec-
catorum te tradere cogitas? Num de-
nuo, dum cor meum subis, in fœti-
do sepulchro reponi te patieris? ah!
bone Jesu! nequaquam id æquum fue-
rit, ut toties ad hominem peccatorem
divertas. Id mihi sufficiat modo, ut
virtutis tuæ potentia ad me invisas, &
ea tandem vitiorum vincula dissolvas,
quibus undique irretitus tuis hostibus
mancipor. Veni igitur Redemptor
animæ meæ, veni; invito te suspiriis
animæ meæ, amplector desideriis, &
ad pedes tuos ceu ad aram refugii
prostratus, supplex te rogo, id demum
efficere velis, ut tu semper in me vi-
vas, & ego in te. Nosti, Domine,
quid me ab intimo charitatis tuæ

com-

complexu retrahat; gloria tua erit hunc
obicem auferre, quo plenius te servi-
torem meum demonstres. Recorda-
re, obsecro, me laborum tuorum
fructum, atque adeo ex duplice crea-
tionis scilicet & redemptionis titulo
tuum esse. Ut tuum ergo misericor-
diæ tuæ oculis respicere, ut tuum po-
tenzi dextera tueri debes. Ego vero
ad te Deum meum, ut omne & uni-
cum bonum meum amandum, tibi
que perpetuo serviendum infinites me
obstrictum confitebor. Amen,

Communio Spiritualis.

PRO DIE SABBATHI.

Aspiratio ad Jesum tanquam Medicum.

O Jesu mi, hujus peccatricis animæ
via, veritas, & vita! qui fieri
possit, ut postquam medicus meus ef-
fectus es, continuis tamen affligar lan-
guoribus? tot jam anni fluxere, ex
quibus jacentem in miseriarum mea-
rum stragulo invisus, totiesque & Cor-
poris tui divinissimi pharmacum, &
haustam

haustam ex lateris vulnera potionem
porrigis, quin unquam expulsa mor-
borum caterva integra redeat valetudo.
Ah! quam inveteratum malum sit,
oportet, quod sumptis ex arbitrii mei
malignitate viribus divini etiam archia-
tri manum frustretur, & ludat. At
infinita est gratiae tuæ vis, quæ quan-
tumcunque graves altumque radicatos
morbos levi exturbare negotio, pelle-
re que momento temporis queat. At-
que hinc in te firmatam spem meam
dimoveri non patiar. Veni igitur di-
vinissime Medice, veni, sana me, &
sanus ero: salva me, & salvus ero: cum-
que corporis & sanguinis tui medica-
mina jam sumere indignus sim, tan-
tum dic verbo, & sanabitur anima. Dic
animæ meæ: salus tua ego sum. Atque
hoc demum verbo opus est, ut omni
infirmitarum mearum absterfo languo-
re, malisque omnibus uno eodemque
temporis puncto resurgam liber. Hoc
perere, hoc sperare fas est abs tanti
Domini munificentia tanta, cui, ut ut
immenſa in mortales effundat, nihil
unquam possit decadere. Qui omnes
ad

ad te venire, necessaria a te petere, a te emere absque argento jussisti, scio, hoc manuum tuarum opus non despicias, hanc pauperculam creaturam ad te anhelantem non repelles, sed tibi supplicem votorum damnabis. Hæc inter tantos languores sit consolatio mea, hæc salutis, hæc vitæ meæ spes, qua non confundar in æternum. Amen;

Quid in postrema Sacrificii parte, seu gratiarum actione agendum?

Enormem rusticitatis excessum fore existimem, si lauto adeo, cælesti- que convivio, cuiusmodi Eucharistia est, exceptus sacerdos nulla benefac- tori suo redditæ gratiarum actione continuo discessum pararet. Igitur a Sacramentorum sumtione cum ipse, tum ejus ore Ecclesia pro tanti bene- ficii magnitudine grates benigno Nu- mini referunt, gratiarumque actioni juxta Apostoli consilium, novi favoris petitionem conjungunt: *in omni ora- zione, inquit ille, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Id ipsum autem & tibi observandum venit eo fere, qui sequitur, modo.*

ORA.

ORATIO

Pro Gratiarum actione.

Domine Jesu Christe, spes, & thesaurus meus, bonorum meorum omnium largitor, quanta me beatum forte existimassem, si cum viva fide morienti adstare, cruentum illud Calvariae sacrificium spectare, excipere que in animam licuisset pretiosissimi tui sanguinis rorem, cuius vel unica stilla mundis mille redimendis abunde sufficeret? At vero nequaquam impar felicitas censenda est, quod in Missa divinis mysteriis, ubi inaudito amoris portento passionis tuæ scenam restauras, concessum sit interesse. Verum eo turpius maxima mea excedit ingratitudo, quo amplioribus me beneficiis obstringis. Ipsa sacrorum multitudo, eaque audiendi facilitas non tam charitatem tuam, ut par fuisset, commendare nobis, quam obviam vulgaremque reddidisse visa est. Ita quidem meus me in transversum error abriput, cuius me nunquam satis pudeat, nunquam peniteat satis. Sed meliora, bone

bone Jesu, meliora, jam deinceps propono, tibique jam nunc eas gratiarum actiones refero, quas referre haec tenus neglexi. Velle me sacrificiis omnibus, quae toto unquam terrarum orbe oblata fuerunt, ea submissione, pietateque adstituisse, qua eis Angelici Spiritus ad majus tuum obsequium adstiterunt. Tu vita, luxque animæ meæ, tu, qui totus es amor, totus pieras, meas obsecro vices, negligenterias meas suppone: obliviscere præteriorum temporum injurias, irreverentias, defectus meos omnes: miseratio-
nibus miserationes accumula, & eos in me gratiarum thesauros effunde, quos concedi nobis tuo nomine per Sacerdotem rogat Ecclesia, ut te in spiritu & veritate adorans in terris, pervenire merear ad te fruendum in cœlis.
Amen.

Ad hæc benedici tibi abs Sacerdo-
te, non secus ac si Christus esset ipse
hinc jam jam ad cœlos migraturus,
optabis. Denique cum in sacro Joan-
nis Evangelio, quod ultimo legitur,
exi-

eximiaæ Dei Filii, æterni Verbi, Patrique consubstantialis excellentiæ commemorentur, & facta nobis per ejus Incarnationem, perque fidei ac gratiæ donum beneficia recenseantur, par est, ut singula alte in animum demittantur. Ad ea porro verba: *Verbum Caro: Deum ter optimum maximum flexo poplite adorabis, templum subinde corpore, non animo egressurus.* Quod si per negotia alterum, vel etiam plura divinæ Majestati offerre liceat sacrificia, novo spiritu, ardentiore affectu & priorem compensare socordiam, & uberiores ex fœcundissima hac vita arbore fructus colligere allaborabis.





PARS TERTIA

Sancta Occupatio.

Ante & post Sacrum.

Item

Ante & post S. Communionem.

Ad promiseram initio, daturum me
in fine libelli accessum ad aram
recessumque, quem S. Mater Ecclesia
sacerdotibus prescribit. Sed enim
mentem mutavi, cum incideret, com-
munem illam præparationis, & gra-
tiarum actionis formam in romano
(ut dicimus) diurnah passim omnibus
ad manum esse. Ne tamen nihil om-
nino agerem, placuit pias quasdam
sanctorum virorum cogitationes sug-
gerere, quibus & clerici, cum ad aram
& laici, cum ad sacram Eucharistiam
accedunt, receduntque, animum suum
sancte possint occupare. Imo, si pau-
ca mutes, etiam sub id temporis non
sine fructu solatioque adhibebis, quan-
do

do templum accedis, ut SS. Missæ sacrificio devote assistas. Gratulabor mihi, si modicus hic labor prospicit utrisque; nam me omnibus debitorem agnosco.

Piæ Cogitationes

Ante Missam,

Aut

Sanctam Communionem.

Ad Patrem æternum.

Pater sancte, per illum affectum, &
illam cœlestium donorum copiam,
cum qua Filium tuum B. Virginis Mariæ in incarnatione dedisti, dum illam
per Archangelum tuum salutasti gra-
tia plenam, da mihi nunc eundem Fi-
lium tuum in Eucharistia, cum tota
illa affectuum divinorum latitudine,
cujus me capacem esse nosti. Quem
enim illa obumbrante spiritu sancto
concepit, eundem ego, aspirante tua
gratia, suscipere me credo.

Ad

Ad Deum Filium.

Fili Dei vivi, quantum vilissimo ho-
muncioni fas est, peto, rogoque,
ut ejus me plenitudinis gratiarum par-
ticipem reddere digneris, cum qua te
Marii tuae communicasti, quando in
virgineis ejus visceribus *verbum Caro*
factum est.

Ad Spiritum Sanctum.

Spiritus sancte Deus, qui corpus &
animam B. Virginis in dignum
divini Filii habitaculum præparasti,
dignare me ita disponere ad eundem
divinissimum Filium, ut anima mea fiat
digniissimum tanto hospite domicilium.

Ad Beatissimam Virginem.

O beatissima Mater, eademque Vir-
go, ecce, ego propero ad dilec-
tissimum Filium tuum in Missæ sacri-
ficio (aut Eucharista) excipiendum:
fac me, quæso, partipem illius amo-
ris, quo eum amplexa es, cum in vis-
ceribus tuis illum portares, in ulnis
tuis gestares, labiis tuis dissuaviareris,
uberibus tuis lactares. Doce me ea re-
veren-

verentia & charitate, quā tu ad cunas
accedebas, Filium tuum tangere, ele-
vare, tractare, suscipere.

Ad Sanctum Joannem Evangelistam.

Dilectissime discipule Jesu, rogo te
per pietatem illam, qua Redemp-
tori nostro in cruce pendentι, & hoc
sacrificium offerenti adstitisti, etiam
mihi sacrificanti assiste, ut tuis adjutus
meritis dignam & acceprabilem hostiam
sanctissimae trinitati offerre valeam.

Ad Sanctos Angelos.

Sancte Archangele Michael, sancte
Gabriel, sancte Raphael, omnes
vos administratorii Spiritus, tuque in-
primis sanctissime Custos, qui natum
in terris Deum profundissima reveren-
tia adorastis, impetrare mihi gratiam,
ut eum in hoc sacro convivio excipiam
ea animi demissione, quam & ego tanto
Deo debedo, & is à me jure suo exigit.

Ad Sanctos Omnes.

Addesto mihi sancte Patronē nominis,
Addesto sancte Patronē menstrue,
Addeste vos Sancti, ad quorum aram &
reli-

TERTIA.

III

Reliquias incruentum SS. Trinitati sacrificium offeram: Adeste vos Sancti, quorum me hodie sub Missæ sacrificio specialiter meminisse jubet Ecclesia: Adeste vos Sancti, amici & patroni mei omnes: in vobis omnem spem meam pono; imperrate mihi tantam devotionem, tantam ornatorum spiritualium copiam, quanta vos in carne mortali viventes SS. Eucharistiam suscepistis.

Quid sub ingressum templi cogitandum sit.

Cum templum ingrederis, & ad sacram vel audiendum vel faciendum te paras, cogita, te servum illum esse decem millium talentorum debitorem, ac proinde divinam justitiam tibi solutionem his verbis imperare: *Redde, quod debes.* Hoc ubi audieris, procumbe in genua, & demissione quidem summa, sed non minore fiducia responde absque mora: *patientiam babe in me, & omnia reddam tibi.*

Scio, & confireor: debedo supremæ Majestati tuæ honorem & reverentiam infinitam: & tamen bona, quæ habeo,

om-

omnia, his nominibus delendis non sufficiunt. Sed tantum mōrē, O Deus, mihi indulge, quantum satis est, ut hoc sacrum peragatur. *Quod ex me mibi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei.* (a) Id quod Christus facit in ara, & ego paratus sum facere: cum ipso me abjicio; cum ipso quasi in nihilum me redigo; cum ipso te, Pater æterne, colo tam profunde, quam demisse tu coli, & honorari mereris.

Scio, & confiteor: debeo pro peccatis meis satisfactionem infinitam. Nempe Majestas, quam offendī, summa est: offendentis conditio abjectissima est; sed tamen *omnia reddam tibi.* Offeram tibi donum, quod plus tibi honoris redder, quam peccatis meis abstulerim. Si veniam dedisti Ninivitis, cum videres Regem demittentem se, abjictemque; quomodo non ignorces mihi peccatori, cum paulo post videbis abjectum coram te Regem cœli, non cinere opertum, ut illum olim, sed redactum ad tam miserum statum, qualis esse solet Agni sacrificari, jugulati, mortui?

Scio,

(a) *Bernard, Serm, 61. in Cant.*

Scio, & confiteor: debo tibi gratias infinitas; beneficiis, quæ modum & finem nullum habent, nonnisi gratitudine infinita responderi potest. Sed exspecta paulum, & novissimum quadrantem expungam. *Calicem salutaris accipiam*, eumque sacerdotis manu tibi offeram. Si deinde placet rationes debiri acceptique inire, contentus sum. Scio, quia id, quod ego dedi, pretio & valore adæquabit dona omnia, quibus me identidem cumulas.

Scio, & confiteor: gratia ac beneficiis tuis sum opere indigeo; & tamen meriti in me agnosco nihil, quo tam necessarios mihi favores obtainere possum. Sed & hic rationem inveniam, qua repulsam non patiar. Sistam me oculis tuis induitum vestibus Fratris mei primogeniti, Jesu Christi. Scio; hac ratione, si non aliud, certe benedictionem a te extorquebo. Mea est hæc victima, mea sunt illa merita, meus est ille sanguis; parvulus hic datus & natus est mihi.

Praxis hæc solatio ac fructu plena,
paucis mutatis usurpari poterit, quan-

H do

do quis vel accedit, vel recedit a
mensa Eucharistica.

Piæ Cogitationes

Post Missam,

Aut

Sanctam Communionem.

I.

Adore te, O augustissima Trinitas,
Pater, qui me creasti: Fili, qui
me redemisti: Spiritus Sancte, qui me
justificasti. Offero tibi hoc SS. Sacra-
mentum, quod confeci, & suscepi
unice, ut tibi in eo quam suavissime
complaceas, & ego tibi per illud sum-
mum honorem exhibeam.

Adoro te, O sanctissima Domini
mei Jesu Christi humanitas, intra me
nunc vere existentem.

Adoro te in omnibus Ecclesiis, in
quibus per totum terrarum orbem SS.
Eucharistia asservatur. Sicut de tuo de-
spectu sum nōpere doleo; ita de exhi-
bito tibi honore sincerissime gaudeo.

Adoro te, O benedicta Christi ani-
ma, plenissima omnibus virtutibus &
meri-

meritis, præ nimia salutis meæ cura
olim ad mortem usque contristata.

Adoro te, amantissimum, afflictissimum,
misericordissimum, suavissimum,
sanctissimum, Jesu Christi cor,
in quo ceu in libro vitæ descriptum
esse, & ad extremum vitæ perman-
furum me confido.

Adoro te nobilissimum, innocentissimum Domini mei Corpus, tam
dura tam acerba tam ignominiosa,
tam humiliter tam amanter tam con-
stanter passum.

Adoro, & exosculor vos perfoſſæ
manus, perfoſſi pedes salvatoris mei.

Adoro vos sacrosancta Genua, in
quibus tanquam sacratissimo Altari,
Dominus meus Jesus toties sacrificium
gemituum, lacrymarum & orationum
pro me Patri æterno obtulit.

Adoro vos, O purissimi oculi Re-
demptoris mei, toties pro me ad Pa-
trem misericordiarum elevati, toties
ad me peccatorem pro consolatione
mea conversi.

H 2

Adoro

Adoro vos, O misericordissimæ
avres, quæ afflicto mihi, & peccatori
semper patuistis. Ament, laudent, &
exaltent te mei loco, O Jesu, Cher-
rubini ac Seraphini in sæcula.

II.

Domine Deus, Pater sanctissime, qui
per abundantiam charitatis tuæ
dedisti nobis unigenitum tuum, ut
thesauro meritorum ipsius nostri sup-
plementur defectus; ego miserrimus
peccator, sed tua misericordia fidelis
Christianus, & servus Domini Jesu
Christi, velut Ecclesiæ membrum,
eum recepi, & meo illum in pecto-
re nunc complector tanquam rem
meam, & intime mihi conjunctam.

Tanquam rem meam tibi in unio-
ne charitatis, qua se ipsum mihi lar-
gitus est in hoc Sacramento, & olim
pro me obtulit in cruce, nunc eum
offerо cum omnibus meritis atque
virtutibus, in æternam gloriam &
laudem, ac infinitam gratiam & be-
nepla-

neplacitum tuum, ut in illo tibi perfecte complaceas, & ut ego, qui tibi placere de actibus meis non valeo, dilectissimi Filii tui meritis & patrocinio perfecte placeam.

In gratiarum actionem pro beneficiis in me collatis offero tibi omnes laudes, quas ipse dedit, cum visibilis nobiscum versaretur in terra, & quas tibi nunc offert in gloria.

In satisfactionem pro peccatis meis offero tibi omnes ejus labores, jejunia, vigilias, fatigations, orationes, quidquid denique fecit, aut pertulit a primo instanti conceptionis, donec exspiravit in cruce, omnes dolores ac tormenta passionis, omnem sanguinem pro me effusum, omnia vulnera pro me accepta, ac mortem pro me toleraram.

Hic est thesaurus, Pater clementissime, in quo totam spem meam reposui; haec sunt divitiae, quas offero in satisfactionem omnium debitorum.

Respice

Respice Domine in faciem Christi
tui & cum hic sit Filius tuus dilec-
tus, in quo tibi semper bene com-
placuit, te per hunc ipsum, qui nunc
mihi est intime conjunctus, supplex
rogo, ut me quoque respicias oculis
misericordiae tuæ. Ne permittas,
obsecro, ut pereat illa anima, quæ
in se recepit Filium tuum, qui a te
missus venit in mundum, querere
& salvum facere, quod perierat.

III.

Tibi vero, O dulcissime Jesu, qui
tui, tuorumque bonorum tam
prodigus es largitor, vicissim offero
animam & corpus meum: utinam
fiam perpetuum quoddam holocaustum,
ardens ad beneplacitum & ho-
norem divinæ Majestatis tuæ.

Offero in primis voluntatem mo-
riendi potius, & quidvis aliud tole-
randi, quam te gravi peccato deli-
berate offendendi.

Religio

Offero

Offero voluntatem perseverandi
in exacta observantia mandatorum
tuorum, sanctæ Ecclesiæ, congrega-
tionis marianæ.

Offero voluntatem patiënti quæ-
vis animæ & corporis incommoda
juxta providentiaæ tuæ suavissimam
ordinationem.

Offero voluntatem domesticos,
subditos meos, quoad in me erit,
ad tui amorem vitamque perfectam
adducendi.

Offero voluntatem pro quavis
anima, quavis occasione, loco & tem-
pore me operamque omnem impen-
dendi.

Offero voluntatem in actionibus
meis omnibus nihil præter Dei mei
gustum & gloriam quærendi.

Offero voluntatem vivendi juxta
cor tuum. Pone me, ubi tibi quam
maximum honorem, obsequium, amo-
rem reddere possim, nulla habita ra-
tione meæ inclinationis, honoris, sa-
nitatis, famæ, vitæ.

O Je-

PARS

O Jesu! tibi dono hoc cor meum,
hanc animam meam.

Eadem haec praxis subinde tibi
servire poterit ad Communionem
spiritualem singulari cum devotione
fructuque peragendam. Accipe, frue-
re pro libitu, vale, & vive.

F I N I S.

